



8
17
1784

DISSERTATIO INAUGURALIS
DIFFERENTIAE
INTER
COLLATORES BENEFICIORUM
GERMANIAE
CANONICAS SEQUELAS EXHIBENS.

QUAM UNA CUM SUBJUNCTIS
EX UNIVERSO JURE POSITIONIBUS

AUSPICE
DEO TER OPTIMO MAXIMO

ANNUENTE INCLYTO SENATU JURIDICO
IN ALMA JULIO-DUCALI WIRCEBURGENSIUM UNIVERSITATE

PRAESIDE
PLURIMUM REVERENDO, MAGNIFICO, CLARISSIMO
ET CONSULTISSIMO VIRO, AC DOMINO

P. 370.

D. JOANNE NEPOMUC. ENDRES,
SS. THOL. ET U. J. DOCTORE, REVERENDISS. ET CELSISS. S. R. I. PRINCIPIS EPIS-
COPI BAMBERGENSIS ET WIRCEBURGENSIS, FRANCIAE ORIENT. DUCIS &c. CONSIL.
ECCL. INSIGNIS ECCLESIAE COLLEGIATAE AD UTRUMQUE S. JOANNEM IN HAU-
GIS CANONICO CAPITULARI, ET IN PRAEFATA UNIVERSITATE SS. CANON.
PROFESSORE PUBLICO ET ORDINARIO

PRO DOCTORATUS IN U. J. GRADU
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

TRIBUS PRO MORE RIGOROSIS EXAMINIBUS TENTATUS ET APPROBATUS
LOTHARIUS FRANCISCUS EHLEN,
WIRCEBURGENSIS.

WIRCEBURGI IN AUDITORIO JURIDICO
AD DIEM XXVIII JULII ANNI MDCCLXXXI.
Horis ante & post meridiem confuetis.

Typis Francisci Ernesti Nörrbitt, Universitatis Typographi,



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.



REVERENDISSIMO
AC
CELSISSIMO
DOMINO DOMINO
FRANCISCO
LUDOVICO
S. R. I. PRINCIPI,
EPISCOPO
BAMBERGENSI
ET
WIRCEBURGENSI,
FRANCIAE ORIENTALIS
DUCI.
CET. CET. CET.
DOMINO SUO CLEMENTISSIMO
DISSERTATIONEM HANC
SUBMISSISSIME DICAT, DEDICAT
ET CONSECRAT

infimus
Lotharius Franciscus Ehlen,
Wirceb. Defendens.

REV. ERNEST D. ...

CHURCH ...

DOMINO DOMINO

FRANCISCO

LUBOWICZ

FRANCISCO

FRANCISCO

BAMBERGER

FRANCISCO

FRANCISCO

FRANCISCO

FRANCISCO

FRANCISCO






CONSPECTUS TOTIUS
DISSERTATIONIS.

- §. I. *Innumerae sunt disciplinae vicissitudines circa Jus & potestatem conferendi Beneficia Ecclesiastica.*
- §. II. *Jus Nativum penes Episcopos fuit; quamdiu Collatio Beneficiorum ab Ordinatione haud erat separata; cujus juris & alicae causae permixtae assignantur.*
- §. III. *Cleri consilium tamen & populi testimonium cum maxima Ecclesiarum utilitate haud negligebatur.*
- §. IV. & V. *Nominatio & Designatio personarum aliis praeter solum Episcopum extraneum serius permissa fuit.*
- §. VI. *Singulare quidpiam fuerat in Presbyteris Nobilium domesticis.*
- §. VII. *Ab his prima Juris Patronatus laicalis, antea Personalis, posthac in Successores transitorii origo derivatur.*



- §. VIII. Clero inferiori circa Beneficia conferenda amplior potestas ex Instituto vitæ communis accrevit, observato tamen aliquo inter Ecclesias Cathedralis & Collegiatis discrimine.
- §. IX. Complementum nihilominus perpetuitatem tituli videlicet Episcopi ordinatio adjecit.
- §. X. Dissolutio Instituti communis novam participandi redditus Ecclesiæ rationem induxit.
- §. XI. Quæ vero Juribus Episcopi officere non debuisset.
- §. XII. Sensim tamen in Cathedralibus adeo Ecclesiis magna vicissitudo invaluit intuitu Episcopi,
- §. XIII. Tum inter sese, sive quoad singula Capitulorum membra.
- §. XIV. Quæ iidem Ecclesiis Collegiatis accommodatur.
- §. XV. Varii tituli recensentur, ex quibus Jus conferendi vel nominandi ad Beneficia extranea iisdem obvenit.
- §. XVI. Quoad hæc tamen fortior semper Episcopo præsumptio assistit.
- §. XVII. & XVIII. Collationis vel nominationis extraneis delatæ incommoda aliqua recensentur, quibus & Pontificius interventus accensetur.
- §. XIX. Hujus brevis Historia enarratur.
- §. XX.

- 
- §. XX. *Ex qua colligitur, Jus conferendi Pontificium extraordinarium esse, sicut eorum, qui ex ejus indulto id participant.*
- §. XXI. *Inferiores Collatores respectu Summi Pontificis Ordinariorum nomine & jure veniunt.*
- §. XXII. *Episcopus tamen Ordinarius primarius & eminentis intelligitur.*
- §. XXIII. *Exercitio Collationis in alios collato potestas radicalis penes ipsum perseverat.*
- §. XXIV. *Prærogativa Episcopi in examine, approbatione & institutione se exerit.*
- §. XXV. & XXVI. *In admissione resignationum, ac præcipue permutationum maxime Curatorum.*
- §. XXVII. & XXVIII. *In datione Vicariorum & Adjutorum, quos Sacellanos vel Cooperatores vocamus.*
- §. XXIX. & XXX. *In devolutione Juris.*
- §. XXXI. *In potestate leges ferendi.*
- §. XXXII. & XXXIII. *Uti & in iisdem dispensandi.*
- §. XXXIV. *Non æqualis est Episcopalis potestatis a Pontificia dependentia, qualis inferiorum ab Episcopis.*
- §. XXXV. *A Pontifice ipso Episcopis certæ prærogativæ deferuntur.*

§. XXXVI.

-
- §. XXXVI. *Potestatem tamen Episcoporum Pontificiæ subordinatam esse oportet.*
- §. XXXVII. *Quæ subordinatio quoad Jus legationis & devolutionis per Concordata sublata non fuit.*
- §. XXXVIII. & XXXIX. *Intentio saluberrima & verbis & factis Pontificum prodita inferiorum obsequium deposcit.*
- §. XL. *Privatio Beneficiorum ob delicta Possessorum propria nulli subesse potest controversiæ.*
- §. XLI. *Privatio potestatis conferendi distinctionem meretur inter inferiorem delinquentem & superiorem innocentem.*
- §. XLII. *Totalis avocatio potestatis ab omnibus universim Ordinariis statu Ecclesiæ turbato cæpta statui tranquillo ultra id, quod transactum est, non convenit.*
- §. XLIII. *Finis intentus sæpe non attingitur, imo eidem potius & Ecclesiæ paci ac utilitati officitur.*
- §. XLIV. *Hierarchicum Ecclesiæ systema intervertitur, quod nonnisi devolutionem inferre videtur.*
- §. XLV. *Devolutio ipsamet tam spectato Jure communi,*
- §. XLVI. *Quam considerato integro Concordatorum Germaniæ nexu graduum hierarchicorum observationem desiderat.*
- §. XLVII. *Hac ratione suum cuique tribui, salutem suam Ecclesiis particularibus, Concordatis firmitatem a Summis Compaciscentibus intentam constare concluditur.*

§. I.



§. I.



Inter quam plurima Politicæ Ecclesiasticæ, illius
etiam, quæ rem Beneficiariam speciatim re-
spicit, capita vix ullum reperire erit aliud,
quod eandem versatilem esse luculentioribus prober argu-
mentis, quodve plures majoresque vicissitudines subierit,
quam illa ipsa Constitutionum, Observantiarum & Con-
suetudinum Ecclesiasticarum pars, quæ jus & potestatem

A

Be-



Beneficia Ecclesiastica conferendi, aut Ministros Ecclesiis præficiendi determinant atque definiunt. Sive enim varia Ecclesiæ sæcula atque tempora, sive Nationes & Provincias, sive Diœceses, vel adeo diversas ejusdem Diœceseos Ecclesias, Collegia & Monasteria consideremus, mirificam plane & inenarrabilem fere dissensionem, fugitivo etiam oculo obversantem nobis ubique licebit deprehendere.

§. II.

Nativum & originarium hoc Jus solis primum competiisse Episcopis, nemo est, qui dubitet. Ordinandi enim Ministros omnes Ecclesiarum ad Diœcesin suam spectantium potestas ita iis propria fuit, ut nemo alius caractere ordinis Episcopalis haud insignitus eandem vel attingere auderet; huic autem alteram Beneficia conferendi dudum indivulse cohæsisse extra controversiam positum dignoscitur. Ita enim tulerat lex inconcussa vetustissimæ disciplinæ, ut nec ab Ordine Beneficium, nec vicissim Ordo a Beneficio disjungeretur. Interdictis quippe


pe vagis Ordinationibus, nemo prorsus aut tonsura aut Ordine insigniebatur, cui non statim sacræ quædam functiones assignarentur certæ Ecclesiæ impendendæ. (a) Quia vero porro juxta Apostolum PAULUM dignum omnino fuerat, ut, qui Altari servit, de Altari quoque viveret; legitimum Ordinatus titulum sortitus fuit percipiendi sustentationem ex ejus Ecclesiæ redditibus, cui Episcopus, tanquam unicus Ordinationis Minister, eundem adscripsit, atque, uti veteres Canones loquuntur, incardinavit. Accedunt & aliæ rationes permultæ, quod Episcopi prædicationibus suis ipsi Ecclesias fundaverint, aut Apostolis earundem fundatoribus successerint, in quos propterea potestas alios earum Ministros constituendi hæreditario quasi jure transmitti debuit. Soli sunt Ecclesiæ suæ Pastores primarii & gregis divinitus sibi concrediti, pro quo rationem reddendam a se esse norunt CHRISTO Pasto-

A 2

rum

(a) Conf. Canon. VI. Concil. Chalcedonens. relatus a GRATIANO *Can. 1. Dist. LXX.* & adhucdum innovatus ab URBANO II. Anno MLXXXV. in Concilio Placentiæ habito eod. GRATIANO referente *Dist. cit. Can. 2.*

Add. ALTESERRA ad c. 13. X. *de ætat. & qual. & ord. presb.*



rum & Ecclesiarum Capitii; eos ergo ab iis seligi & probari oportet, in quos aliquam suæ curæ partem depontant. Tanquam CHRISTI in iis Vicarii & Hierarchæ missione & Jurisdictione Canonica inferiores impartiant ab ipsis tanquam fonte in hos derivanda. Nulla quippe sine Episcopo Ecclesia, nullum in Ecclesia Ministerium, nisi ab ipso constitutum, nullus Minister, nisi ab ipso missus, eique probatus.

§. III.

Aliquas tamen Cleri simul & populi partes præterea fuisse in conferendis ordinibus, exploratum plane habetur. Unde & merito concluditur, utrumque ad conferenda eo tempore Beneficia aut ad Jus sustentationis ex redditibus Ecclesiasticis petendæ impartendum suo quemque modo concurrisse. Cleri *consilio* utebatur Episcopus, *testimonium* quoque plebis exspectabat, ad dignoscendos eorum mores, quos ordinaturus erat; nec regimen cuiquam concedidit, nisi certus foret, acquieturos esse eos, qui regendi eidem commendabantur. Id tamen non obfuit,

fuit, quin summam Episcopus retineret authoritatem. Imperium enim & authoritas hoc Cleri simul & populi interventu adeo non debilitabatur, ut potius eidem ex his prudentiæ, moderationis & charitatis regulis præsidii plurimum & ornamenti ad publicam Ecclesiæ utilitatem accederet. Præcipuam hanc Episcopi Authoritatem probe expendit S. HIERONYMUS Lib. I. in Epist. ad TITUM, ubi verba illa Apostoli: *ut constituas per civitates Presbyteros, sicut ego disposui Tibi*, exponens in Episcopos exarscit, qui affectui & favori dant, quod meritis largiendum erat, & qui Beneficia temere dispensant, quasi arbitrariæ & privatiæ beneficentiæ ea essent dona, quæ cumulatissimæ virtutis deberent justa esse præmia. "Audiant
 "Episcopi, inquit, *qui habent constituendi Presbyteros per*
 "*urbes singulas potestatem*, sub quali lege Ecclesiasticæ institutionis ordo teneatur; Manifestum est eos, qui Ecclesiastica lege contempta Ecclesiasticum gradum non
 "merito voluerint alicui deferre, sed gratiæ, contra
 "Christum facere: At nunc cernimus plurimos hanc
 "rem Beneficium facere, ut non quarant eos in Ecclesia

" co.



„columnas erigere, quos plus cognoscunt Ecclesiae pro-
 „desse, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obse-
 „quii delinuti, vel pro quibus Majorum quispiam roga-
 „verit, vel, ut deteriora taceam, qui, ut Clerici fierent,
 „muneribus impetrarunt.” Vel ex hac ipsa vitiosa Epif-
 coporum facilitate & inconsiderata Ministeriorum prodi-
 galitate certissime liquet S. HIERONYMO, eosdem unos
 & solos fuisse Beneficiorum omnium Collatores. Eo-
 rum iudicio & auctoritati electionem Ministrorum vendi-
 cat IDEM in Epistola ad NEPOTIANUM: *Gaudeat, in-*
quiens, Episcopus JUDICIO SUO, cum tales elegerit Sacerdo-
tes. Et rursus in Epist. ad Diaconum SABINIANUM:
 „ Recordare, a quo Episcopo Diaconus ordinatus sis;
 „ nec mirum, quamvis sanctum hominem, tamen in ho-
 „ mine eligendo potuisse falli, cum & Deum poeniteat,
 „ quod SAUL in Regem unxerit, & in duodecim Apo-
 „ stolis JUDAS sit proditor repertus. „ Prodit insuper
 hisce palam, quantis illimitatum unius folius Episcopi ju-
 dicium circumveniri posset privatis cupiditatibus. Si po-
 pulo nimia quaedam effervescentia permitteretur, ejus tu-
 multuan-

multuantis impetus ultra recti limites facile exorbitaret, & ambitionum factiones facile crescerent. Cleri quoque consensus pronuntiatur necessarius, plena nihilominus autoritate Episcopi salva. Canon enim VI. THEOPHILI Alexandrini apud BALSAMONEM de his, qui ordinandi sunt, hanc præscribit formam, „ut, quidquid est „ sacerdotalis ordinis, consentiat & eligat, & tunc Episcopus examinet & ordinet in media Ecclesia præseente populo „, & Episcopo alloquente, an etiam populus ei ferre possit testimonium. „ Perspicue hic & Episcopi supra Clerum prerogativa emicat honoris & potestatis, neque minus Cleri supra populum, cui residuum id unum fit in electionibus vel ordinationibus, ut pro Jure adeoque & pro officio suo ordinandos testimonio suo vel juvet, vel destituat.

§. IV.

Quod autem toti fidelium, quorum reapse intererat, gratos sibi probatosque habere Rectores, cætui denegatum fuerat, deligendi Ministros judicium, multo minus



nus privatis singularibusque personis, quamvis Ecclesias fundassent atque dotassent, permitti voluit.

Episcoporum rursus ea singularis erat prærogativa, nec laicis, nec aliis quoque inferioribus Clericis communis, ut, qui extra Dioceseos suæ fines terris fundisque quibusdam gauderent, in iisque Ecclesias ædificassent, Ministros iis præficiendos nominandi & proprio loci Episcopo præsentandi Jure seu privilegio potirentur. Quamquam enim earum nec dedicationes Altarium, nec Ministrorum aut Clericorum quorumcunque ordinationes vindicare sibi possent; Concilium tamen Arausicanum celebratum anno CCCCXLI. eos, qui in eis ministraturi essent, arbitrato suo deligendi iisdem potestatem peramplam fecit (a):

Idem

(a) Can. 10. apud HARDUINUM Tom. I. Concilor. pag. 1785 „ Si
 „ quis Episcoporum in alienæ civitatis territorio Ecclesiam ædificare
 „ disponit, vel pro fundi sui negotio, aut Ecclesiastica utilitate, vel pro
 „ quacunque sua opportunitate permissa licentia ædificandi, quia hoc
 „ prohibere votum nefas est, non præsumat dedicationem, quæ illi
 „ omnimodis reservatur, in cujus territorio Ecclesia assurgit, reservata
 „ Episcopo ædificatori hac gratia, ut, quos desiderat Clericos in re sua
 „ vide.

Idem vero Canon in Laicos pœnas decernit, qui constructas a se Ecclesias voluerint ab alio, quam a Diocesano Episcopo dedicari, & ne verbum quidem ullum facit de Jure, quo laici Ministros Ecclesiæ hujus suo Episcopo præsentarent (*b*). In promptu quidem est ratio, quæ potiori Jure laicis videretur adstipulari, quod suis videlicet impendiis & in hæreditariis fundis Ecclesiam construxerint; cum Episcopi Ecclesiarum fundatores, uti quicunque alii Ecclesiastici, videri possint ex Ecclesiasticis suis proventibus eas extruxisse; indeque potiori favore remunerandi fuisse videntur laici, qui de suo gratificati essent. Verum aliunde longe plausibilior visa fuit Episcoporum causa, utpote qui exploratissimum habuere, qui-

B

bus

„ videre, ipsos *ordinet is*, cujus territorium est; vel, si ordinati jam
 „ sunt, ipsos *habere acquiescat*. Et omnis Ecclesiæ ipsius gubernatio
 „ ad eum, in cujus civitatis territorio Ecclesia surrexerit, pertinebit.

- (*b*) „ Quodsi etiam sæcularium quicumque Ecclesiam edificaverit, & aliam
 „ magis, quam eum in ejus territorio edificat, invitandum putaverit,
 „ tam ipse, cui contra constitutionem ac disciplinam gratificari vult,
 „ quam omnes Episcopi, qui ad hujusmodi dedicationem invitantur, a
 „ conventu abstinebunt. Si quis excefferit, in reatum devocabitur;
 „ Si quis excefferit, ordinem recognoscat, *Ibid*.



bus & qualibus Ministris egeat Ecclesia, quæ eorum laudes & virtutes esse debeant juxta Canonicas functiones, quarum nec laici nec inferiores Clerici parem præsumebantur habere peritiam, nec plenam de prompta easdem, sepositis privatis affectibus, exacte observandi voluntate fiduciam. Cum denique soli Episcopo hoc privilegium expresse a Concilio indulgetur, alium ejusdem de aliis quibuscunque silentium nullis non præjudicat conjecturis. Reperitur eadem dispositio in Concilio Arelatensi II. (c) simulque in fine additur: Hoc *solum* ædificatori Episcopo credimus reservandum. Præterea de laicis in Can. 37. Concil. Arausiaci superius laudati eadem plane sententia refertur, sed ulterius nihil eis tribuitur.

§. V.

Eo magis vero hæc assertio confirmatur, quod circa annum DXC. GELASIUS Papa privatis fundatoribus Laicis ex legum Ecclesiasticarum principiis ejus temporis fere


(c) De Anno CCCCLII. Canon. 36, apud HARDUIN. Tom. II. Concil. P. 776.

fere nihil proprii concefferit, id quod duo textus apud GRATI-
 ANUM, nempe C. 26. & 27. XVI. Quaest. I. demonstrant.
 Solum enim Jus commune omnium fidelium iis compe-
 tere afferitur, quod in processionis aditu constituunt.
 Eos vero, qui in hoc Processionis aditu singularem pro-
 cedriam aut privilegium quarunt, insigniter falli ostendunt
 Viri Politicæ non minus, quam Historiæ Ecclesiasticæ pe-
 ritissimi. (a) Processio nihil erat nisi conventus fidelium
 sacrorum causa *synaxis* alias dictus, aditus vero processio-
 nis initio ad Ecclesiam Sacrorum causa. Quocirca recte
 censuit Cardinalis BONA (b) *procedere* apud antiquos nihil
 esse aliud, quam in Ecclesiam ad Synaxin celebrandam
convenire. Duplex vero videtur processio obtinuisse: *sim-*
plex, qua quilibet sine comitatu solenni Ecclesiam fre-
 quentabat; & *solemnis*, quæ fiebat in comitatu Episcopi
 & Cleri. Moris enim erat, ut Clerus & populus Episco-
 pum

B 2

(a) FRANC. FLORENS. Tract de Jure patr. LUCAS HOLSTEN. in
 Collect. Rom p. 209. seqq. CANGIUS in Glossar. hac voce. SAMU-
 EL BASNAGE Annal. Ecclæs. ad Annum CCXLIII. §. 2. JANUS &
 COSTA in Prœm. ad Tit. de Jure patr.

(b) Lib. II. Rer. liturgic. c. 32.



pum ad Ecclesiam euntem comitaretur, & ita procederent. Hic igitur aditus processionis sicuti omni populo communis, ita multo magis ædificatori indulgens erat, in quo comitatu deinceps locum obtinuit honorificentiorum. (c)

§. VI.

Plus Juris fuerat Proceribus & Nobilibus, quos *Majores* vocabant, nihil vero præter solam ordinationem Episcopis in deligendis iis Sacerdotibus, qui ad Sacra in Capellis sive oratoriis eorundem ruri in suam suæque familiæ commoditatem peragenda adsumebantur, Episcopis primum vehementer id optantibus (a), deinceps vero

(c) Hujus processionis vestigium exhibet adhucdum Capella Pontificia; in Ecclesiis quoque ruralibus circuitus Ecclesiæ cum aspersione aquæ benedictæ consuetus. Imo ex hac processione, quæ fiebat ad Ecclesiam in comitatu Cleri & populi, reliquæ processionis extra Ecclesiam solenniores invaluisse videntur.

Conf. NICOL. SERARIUS *sacri Peripaterici sive de sacris Ecclesiæ Catholicæ processionibus* Lib. I. cap. 1. —

(a) Preces enim, imo & mandata inculcavit CHRYSOSTOMUS opulentis omnibus, ut in villis suis ruri Ecclesias extruerent. Hom. 28. in Act. Apost.

potius eorundem restrictionem varias ob causas ardentius desiderantibus. (b) Particularis autem horum ratio

2116

B 3

fue-

Apost. *Fora quidem & balnea faciunt multi, Ecclesias autem non item; & omnia magis, quam has, ideo oro, & supplico, & gratiam peto, immo & legem pono, ut nullus, qui habet villam, appareat carere Ecclesia, &c. Educa Magistrum, & tuca Diaconum & Sacerdotalem ordinem; quasi ducra uxore dorem adscribe. Quid non erit illic bonorum? Parumne est, oro, & oculis benedici? Deum ex omnibus frugibus partem & primitias accipere? simul prudentem habere sacerdotem, simul conversantem? Parumne est in sanctis oblationibus nomen tuum semper referri?*

(b) Odii hujus duplex causa fuit, una Ecclesiarum *ordinariarum*, quæ & *maiores* vocantur, contemptus & neglectus. Altera servilis plane *Presbyterorum* *subjectio* & totalis a jurisdictione Episcopali *substractio*.

Prior ex Concilio Parisiensi VI. Anno DCCCXXIX. apud HARDU-
NUM Tom. IV. Concil. p. 1357. patet, ubi Patres admonendum esse
Imperatorem censuerunt, *ne tot capellæ palatine exstruerentur. Quoni-*
am, ajunt, propter hoc & honor Ecclesiasticus vilior efficitur, & vestri Pro-
ceres, & Palatini ministri in diebus solennibus, sicuti decet, vobiscum
ad missarum solennia non procedunt. Similis querela Episcoporum in
Synodo Ticinensi anno DCCCLV. congregatorum refertur tum ab HAR-
DUINO Tom. V. Concil. p. 98. tum a STEPHANO BALUZIO Tom.
II. Capitul. p. 352., ubi Patres congregati c. 3. succentent. *Doctrina*
verò & predicatio in populo partim Episcoporum & reliquorum Sacerdotum,
partim vero populi negligentia, non sicuti necessarium est, procuratur. Ex
Sacerdotum quidem injuria nullatenus est excusanda. Quidam vero laici,
& maxime potentes ac nobiles, quos studiosius ad prædicationem venire
oportebat, juxta domus suas basilicas habent; in quibus divinum audientes
offi-



fuerat, aliis publicis Ecclesiarum Ministris haud accomo-
danda. Differebant enim Capellæ sive Oratoria in villis ab
aliis

officium ad majores Ecclesias rarius venire consueverunt. Et dnm soli
afflicti & paupere veniunt, quid aliud, quam ut mala parienter ferant,
illis prædicandum est? si autem divites, qui pauperibus injuriam facere so-
liti sunt, venire non renuerint, admoneri urique possent, ut Eleemosinis
peccata sua redimerent, & a fluxu rerum temporalium abstinere; admo-
nendi igitur sunt potentes, ut ad majores Ecclesias, ubi prædicationem au-
dire possunt, conveniant, & quantum domus omnipotentis Dei divitiis &
honoribus ceteras antecedant, tanto ad audiendum præcepta conditoris
sui alacrius festinent.

De altera querelarum causa ingemiscit AGOBARDVS Lugdunensis
Archiepiscopus, Anno DCCCXV ad hanc Sedem admotus, in libro de
privilegiis & jure sacerdot. §. 9. pag. 134. ex edit. BALUZ. ubi testimo-
niis ex sacra Scriptura de dignitate Sacerdotii præmissis subjicit sequentia
morem sui ævi corruptum repræsentantis: Hæc pauca veteris ac novi Te-
stamenti collegimus testimonia, in quibus quasi in speculo contruere valeamus
fædritatem nostri temporis omni lacrymarum fonte plorandam, quando in-
crebuit consuetudo impia, ut pene nullus invenitur anhelans, & quan-
tumcunque proficiens ad honores & gloriam temporalem, qui non Domesti-
cum habeat Sacerdotem, non cui obediat, sed a quo incessanter exigat licen-
tiam simul atque illicitam obedientiam non solum in divinis officiis, verum
etiam in humanis, ita ut plerique inveniantur, qui aut ad mensa mini-
strent, aut succosa vina misceant, aut canes ducant, aut caballos, quibus
feminae sedent, regant, aut agellos provideant. Ex quia tales, de quibus
hæc decimus, bonos Sacerdotes in domibus suis habere non possunt, (nam
quis esset bonus Clericus, qui cum talibus dominibus debonefieri nomen &
vitam

aliis Ecclesiis Parochialibus sive publicis, quod in his legitimus & ordinarius esset sacrorum causa conventus, non in illis, in quibus tantum permissum erat quasi *extra ordinem* ac *dispensative* propter fatigationem familiæ, cui omnibus diebus Dominicis & festis Ecclesias publicas parochiales Urbium aut Cathedrales accedere difficile nimis fuisset, *quandoque* sacra facere. (c) Præcipuæ vero & solenniores festivitates exceptæ fuerant, in quibus sacra publica iis frequentanda erant. (d) Inde etiam Presbyteri

ri

vitam suam ferret?) non curant omnino, quales Clerici illi sint, quanta ignorantia cæci, quantis criminibus involuti; tantum ut habeant Presbyteros proprios, quorum occasione deserant Ecclesias seniores & officia publica. Quod autem non habeant eos propter Religionis honorem, apparet ex hoc, quod non habeant eos in honore. Unde & contumeliose eos nominantes, quando volunt illos ordinari presbyteros, rogant nos aut jubent dicentes: Habeo unum CLERICIONEM, quem mihi nutriti de servis meis propriis aut beneficalibus sive pagensibus; aut obtinui ab illo vel illo homine sive de illo vel illo pago: volo, ut ordines eum mihi presbyterum: Cumque factum fuerit, putant ex hoc, quod majores ordinis sacerdotes non eis sint necessarii, & derelinquunt frequenter publica officia & prædicamenta &c.

(c) Conf. Concil. Agath. de Anno DVI. Canon. 21.

(d) Conf. Concil. Arvernense de Anno DXXXV. c. 17. Si quis ex Presbyteris aut diaconis, qui neque in civitate neque in Parochia, CANONICUS esse dignoscatur.



ri sacris ibi operantes distinguebantur a reliquo Clero Ecclesiarum Parochialium vel Publicarum, qui Clerus *Canonicus* (e) dicebatur, eo quod *Canon* seu *Matriculæ* (f) Ecclesiæ esset inferus. Presbyteri Capellarum cum huic non essent adscripti, nec *Canonicorum* nomen participabant; unde nec *Canonem* sive sustentationem ex bonis & redditibus Ecclesiarum percipiebant, a solis Proceribus vel

No-

noscat, sed in villulis habitans, in oratorii officio sancto deserviens celebrat divina mysteria, festivitates præcipuas, Domini Natale, Pascha, Pentecosten, & si quæ principales sunt reliquæ solennitates, nullatenus alibi nisi cum Episcopo suo in civitate teneat. Quicumque etiam sunt cives nati majores, pari modo in urbibus ad Pontifices suos in prædictis civitatibus veniant.

- (e) Ita in *Can. 2. Dist. LXX. CANONICUS PRÆBENDARIUS* dicitur, eo quod eidem alimenta ex redditibus Ecclesiæ præberentur. Diverso in sensu postea vigente institutum communi *CHRODEGANI* dicti sunt *Canonici*, qui in Collegium *Canonicorum* recepti, & ad *Canonicas regulas* custodiendas obstricti sunt. Sic enim *IVO Carnotensis Episcopus* Epist. 69. *Ideo Canonici appellati estis, quod Canonicas regulas vos velle observare, ceteris arctius devovistis.*
- (f) *Maticula* enim juxta *Can. Continuaces. 21. Dist. L.* erat catalogus, in quem referebantur in Clerum illius Ecclesiæ, penes quam *Maticula* erat, recepti, atque ea de causa stipendiis Ecclesiasticis sustentabantur unde *maticularii* dicti.

Nobilibus una cum reliqua eorundem familia alendi, ideoque Clerici PROPRII, Domestici Sacerdotes vel Presbyteri Laïcorum dicti, a quorum fere nutu dependebant. (g) Nihil proinde Juris percipiendi reditus & fructus Ecclesiarum in illos derivare poterant Episcopi.

§. VII.

Paulatim vero contigit, multiplicato forsan nimium hominum propriorum & accolarum numero, eoque admodum ob agrorum culturam post sylvas Indies excisas necessario, ut in Capellis sacra *ordinaria* fierent, eaque aut Ecclesiarum Parochialium indolem induerint, aut alia extra Castrorum septa nova ab iisdem Dominis construerentur, quae plerarumque Ecclesiarum Patronatarum ruri existentium origo evasit. Nihil Juris primum in his Ecclesiis publicis, quamvis in possessione eorum constitutis, pristinis Dominis proprium voluerunt ipsimet Imperatores ARCADIUS & HONORIUS (a); sed omnia in-

C

star

(g) Conf. sup. Lit. (b).

(a) L. 2. Cod. Theodos. de Episc. & Cler.



star aliarum Iudicio & ordinationi Episcoporum permiserunt. Sed connaturale prorsus fuit, ut Domini Castrorum, quibus antea Domesticum Sacerdotem suum constituere arbitrarium fuerat, nunc quoque publicum Ministrum designarent, & Episcopo offerrent, praesertim cum eundem posthac adsignatis vel propriis fundis vel redditibus per homines suos subministrandis sustentare pergerent. Et hoc civilis primum sanxisse videtur autoritas JUSTINIANI Imperatoris (b). Idipsum tandem Ecclesiam agnovisse anno DCLIX. reperitur ex Concilio Toletano IX, cujus Canones refert GRATIANUS causa XVI. q. VII. Can. 31. & 32. Hoc etiam anno in Gallia celebratum esse constat Concilium Cabilonense. (c) Ast quamvis JUSTINIANUS allegatae Nov. Cap. 18 non solum conditoribus Ecclesiarum, sed eorum quoque haeredibus id permisisset; ex praefato tamen Conc. Toletano illud personale solis fundatoribus fuisse, quamdiu in vita superstites fuerint, colligitur, si

(b) Testante Novella 57. Cap. 2. & Nov. 123. Cap. 18.

(c) Incertus hujus Concilii annus est. Canon autem ejus 14. hanc Procerum potestatem supponit, ubi dependentiam ab Episcopo & Archidiacono praecipit.

si dicti Canonis *Decernimus* 32. vetus lectio, quam GRATI-
 ANUS ex sæculi sui more & observantia adulteravit, re-
 stituatur. Nam voci: *superstitibus*, aliam: *spretis* suppo-
 suit. Priori restituta verissimum est, mortuis fundatori-
 bus Episcopum, inconsultis eorum hæredibus, rite atque
 liberrime Ecclesiam ordinasse.

Facultatis hujus fundatoribus indultæ parem in Ger-
 mania nostra observantiam viguisse præsumi facit tum Ca-
 strorum cum Capellis ruri existentium multitudo, ac per-
 fectissima Ecclesiæ nostræ cum Gallicana conspiratio, tum
 testis est Constitutio S. BONIFACII de anno DCCXLV.,
 quæ prohibet, ne Laici munera exigant a Presbyteris
 propter commendationem Ecclesiæ. (d) Jus igitur hoc
 conniventibus quasi oculis Ecclesia contra regulas ordina-
 rias Ecclesiasticas sustinuisse, & quasi invita lentis gressi-
 bus extendi permisisse videtur tanquam Jus quoddam sin-
 gulare in eo sensu, quo PAULUS Juris Consultus (e) il-

C 2

lud

(d) Apud COLLETUM, in Collect. Concil. Tom. VIII, Col. 310.

(e) In L. 16. ff. de LL. & Constit.

Iud definit, quod contra tenorem rationis propter aliquam utilitatem auctoritate constituentium constitutum est, ad invitandam nimirum magis fidelium devotionem ac liberalitatem, & Ecclesiarum pluribus in locis construendarum utilitatem ex mera gratia & tolerantia Ecclesiae indultum fuit. Quam ob rem PP. Concilii Lateranensis (f) potestatem vocant, in qua fundatores eorumque haeredes haec tenus Ecclesia sustinuit. Hoc tamen non obstat, quominus jus nunc perfectum perpetuum & inauferrabile evaserit; sicut aliae Jurium singularium species lege semel stabilitae. (g)

§. VIII.

(f) Juxta Cap. 3. de Jur. Patron.

(g) Nequaquam igitur conclusioni illi consentimus, quam Doctores apud FAGNANUM, his inferunt verbis: Cum igitur Jus Patronatus, quod laici in Ecclesiis habent, gratiosum sit, eosque Ecclesia in tali potestate ex gratia suslineat, ut hic dicitur, hinc inferunt Hostiensis, JOANNES, ANDREAS, & ABBAS, ut, si Papa velit, possit libere conferre beneficia Juris Patronatus Laicorum, etiam in viis Patronis. Non tamen expedire ipsemet censet, ut Papa libere disponat de Ecclesiis Juris Patronatus, ne laici a fundationibus detrahantur. . . Unde fit, ut, quamvis possit, non tamen censeatur velle Patronatus Laicorum derogare, nisi hoc exprimat. Concludit habendo respectum ad jura antiquissima. . . Concessionem Juris Patronatus fuisse gratiosam; sed hodie, cum per jura nova fuerit redacta in Corpore Juris, amodo non dici gratiam, sed justitiam, seu Jus Com-

munis.

§. VIII.

Institutum vitæ communis una cum Regula **CHROD-**
GANGI Metensis maxime per **LUDOVICUM** Pium & **Con-**
cilium Aquisgranense anno **DCCCXVII.** in omnes fere
 Germaniæ nostræ Ecclesias tam Cathedralis, quam Colle-
 giatas latissime diffusum, sicut aliis Politicæ Ecclesiasticæ vi-
 cissitudinibus bene multis ansam & originem dedit, ita
 quoad Beneficiorum collationem etiã Clero inferiori am-
 pliorem potestatem conciliavit, ut ea a solo Episcopo post-
 hac non amplius penderet. In Ecclesiis equidem Cathed-
 ralibus discrimen tam insigne ac notatu dignum ab initio
 vix observari poterit. Nam Episcopi nec ordinare Cle-
 ricos sine Consilio Cleri sui antiqua jam lege & more ve-
 luti perpetuo dudum consueverant. Arctissima illa con-
 junctio, qua Episcopus ex communione ejusdem diver-
 forii ejusdemque mensæ Cœtui Canoniorum Ecclesiæ suæ
 Cathedralis tanquam corpori caput adstringebatur, no-
 vum arctiusque vinculum induxit, ut nullum in fratrem
 cooptaret aut ordinando eidem Cœtui incardinaret, quem



isti renuerent. Non potuisset pacifice hæc vita communis
 agi, nisi eorum consensum vel consilium in recipiendis
 fratribus, qui ex communi mensa sustentari deinceps de-
 bebant, exquisisset. Diverſa tantisper ratio obtinuit
 quoad cæteras Ecclesias, quas Collegiatas hodie dicimus.
 Hæ licet Episcopo tanquam summo & generali totius
 Dioceſeos Antistiti subordinationis Canonica nexu obſtri-
 ctas subiectasque se profiterentur; separatas tamen sub ſpe-
 cialibus ſuis Prælatiſ rationes habuerunt, neque unum
 cum Episcopo Corpus constituerunt. Inde est, quod Jus
 ſuſcipiendi fratres toti horum Canonicoꝝ Collegio, di-
 rigentibus id negotii ſpecialibus eorum Reſtoribus ſive
 Præpoſitiſ ſive Decaniſ in Regula CHRODEGANGI per
 Concilium Aquigranenſe expoſita & confirmata conſtabi-
 liretur. Hiſ enim lex conſtituitur, ne ultra rationem &
 facultates Eccleſiæ ſuppentes numerum augeant (a). Pa-
 riſiformiter iisdem hæc norma ponitur, ne effræniſ domi-
 natus

(a) Conf. Regula Canon, apud AMORT. vet. Diſcip. Can. pag. 287. C. 4.

natus cupidine ex solis Ecclesiæ suæ servis vilisque conditionis hominibus eosdem adsumant. (b) Per Præpositum autem non notari Episcopum, ex eadem regula luculentissime perspicitur, quæ eundem Præpositum etiam Archidiaconum appellat. Et generatim Præpositos eos vocat, qui Prioratus curam sub aliis Prælatiis gerunt. (c) Episcopo potius superintendentiam in exactam hujus sanctionis observantiam mandat Concilium Moguntinum de anno DCCCXIII. (d) Ex his luculenter factis colligitur, Episcopum in horum susceptione nullatenus intervenisse, de numero tamen conviventium ipsi indagandum omnino fuisse,

(b) Ibidem Cap. 7.

(c) Conf. Regula eadem Canon. Cap. 46. apud AMORT. pag. 261. Cap. 19. & 20. uti & Concil. Aquisg. *Quantis omnes, qui præsumunt, Præpositi recte dicuntur, usus tamen obtinuit, eos vocari Præpositos, qui prioratus curam sub aliis Prælatiis gerunt.* Add. CANGIUS Glossar. ad Script. medi. & inf. latin. voc. Præpos.

(d) Concil. Mogunt. de Anno DCCCXIII. Cap. 19. *Præcipimus, ut unusquisque Episcopus sciat per singula Monasteria, quantos quisque Abbas Canonicos in Monasterio suo habeat: et hoc omnino ambo pariter provideant, ut, si Monachi fieri voluerint, regulariter vivant: sin autem, canonicè vivant omnino.*



fuisse, utpote cujus subjectioni neque integra Collegia, neque eorum Præpositi se subducere unquam præsumferunt.

§. IX.

Neque tamen hæc fratrum receptio in Collegiatis Ecclesiis penitus excludere potuit Episcopum, imo fuit eidem etiam tum intuitu istorum prærogativa quædam præcipua ac plane singularis. Id quod consideratione maxima dignum fuerat plurimique æstimandum, perpetuitatem videlicet ac stabilitatem Episcopi manus ultima ordinando adjecit. Ordinatione denegata & poterant & debebant recepti dimitti, ne otiosus oblationes fidelium & pretium pauperum consumeret. Hac impertita, Collegio & Ecclesiæ ita obligatus fuit Monachorum instar stabilitatem loci profitentium, ut constantissime eidem esset affixus, nec invitus sine Episcopi judicio dimitti posthac posset, nec Ecclesiam ipse quoque deserere. Concilia omnes omnino Clericos non ante vinculo stabilitatis obligant, quam ordinatione suscepta, quæ hoc Episcopo imperium peperit; imo nullum ordinari permiserunt, nisi

locales

locales se futuros spondissent. Ita Concilium Valentinum constituit (a). Concilium Hispalense II. similitudinem hominum glebæ adscriptorum, quos leges civiles solo natali affixerant, ut nunquam liberum ipsis esset in alias demigrare regiones, iis accomodat (b). Plus vero suavitatis & dignitatis in hac erat servitute, quam Ecclesiasticæ leges Clericis indicebant, ager, qui colendus erat, amœnior feraciorque, fruges ipsæ aternæ & incorruptæ. Hinc tanto major cura stabilitatis & assidui cultus. Idem Concilium desertorem Clericum ad Episcopum suum remittendum præcipit, non antea Ministeriis Ecclesiasticis restituendum, quam perfidiam suam pœnitentiæ in aliquo

D

Mo-

(a) Canon 5. & 6. talis est: *Hoc etiam placuit, ut vagus atque instabilis Clericus sive etiam in Diaconi ministerio, vel Presbyteri officio constitutus, si Episcopi, a quo ordinatus est, præceptis non obederit, ut in delegata sibi Ecclesia officium dependat assiduum, quousque in vitio permanserit, & communione & honore privetur, &c. Sed nec illum sanctorum Sacerdotum quispiam ordinet, qui localem se futurum primitus non sponderit.*

(b) Scribitur enim in lege Mundiali de Colonis agrorum, ut, ubi esse jam quisque cœpit, ibi perduret; Non aliter & de Clericis, qui in Agro Ecclesiæ operantur, Canonum decreto præcipitur, ut ipsi permaneant, ubi esse cœperunt.



Monasterio peragenda laboribus expiasset. (c) Seminarii instar Episcopis hæc fuerant Collegia, in quibus ad Servitia Dicecefos & Episcopi adolescere deberent Clerici; unde, quos maxime excoluit Episcopus, ex eis ipse capere fructum maximum, non alius quiscunque deberet ratione a Concilio Tolerano II. suppeditata: *quia durum est, ut eum, quem alius rurali sensu ac squalore infantia exiit, alius suscipere ac vindicare præsumat.* Hoc autem plenius exinde patescit, Episcopo magis devinctos fuisse Clericos, quam Ecclesiæ, a qua recepti fuerant, & Episcopo ad ordinationem præsentati. Cum enim ab ordinatione ea manaret servitus, ordinatori suo utique potissimum subijciebantur. Ideo fas erat Episcopo Clericos quoslibet ab Ecclesiis quibuslibet suæ ditionis in Ecclesiam Cathedralam transferre, quandocunque ita expedire senserit. Si enim secundum Canones Clericos suos aliis petentibus Episcopus potuit concedere & abdicare, quanto facilius æquius-

(c) Concil. Hispal. II. Canon. 2. *Desertorem Clericum cingulo honoris atque ordinis sui exutum aliquo tempore Monasterio delegari convenit, sicque postea in ministerio Ecclesiastici ordinis revocari,*

æquiusque poterit ipse eos in principalem suam aut aliam quamcunque Diceceseos Ecclesiam traducere. (d)

§. X.

Disceffus a vita communi Canonicorum, qui in Sæculo X. ab Ecclesia Metropolitana Trevirensi cœpit, (a) & ad alias sensim imitatione & Episcoporum conniventia propagatus fuit, diversam plane percipiendi sustentationem ex bonis Ecclesiæ rationem induxit. Percipiebant enim hætenus recepti in numerum fratrum eodem in recto conviventes & eodem in refectorio Monachorum instar refecti in communi victum & amictum quotidianum secundum modum indigentiaæ suæ & necessitatis

D 2

men-

(d) Concil. Emerit. Canon. 12.

(a) TRITHEMIUS ita refert stilo acriori in Chron. Hirsaug, ad Annum DCCCCLXXVII. Anno isto moritur Archiepiscopus Trevirensis, sub quo Canonici Majoris Ecclesiæ ibidem abjecta regulari vita, quam hucusque in eadem Ecclesia Majores eorum continuaverant, facti sunt & nomine & conversatione sæculares, quorum exemplo malo Canonici quoque S. Paulini Trevirensis & S. Castoris in confluentia, Moguninenses, & Wormarienses, & complurium aliarum Ecclesiarum, diversis quidem temporibus, sed uno impietatis spiritu regularem vitam abjecerunt.

mensuram ex dispensatione Episcopi aut Præpositi per Oeconomos. Separata vero vita, ad quam claustralis tædio anhelabant, uberiores desiderabat reditus. Unde bona mensæ Capitularis, quæ quidem a mensa Episcopali vel Præpositi jam ante diuisa fuerat, secundum numerum fratrum ita partiti sunt, ut singuli iisdem uterentur fruerentur tanquam stipendiorum loco pro seruitio suo Ecclesiis præstando assignatis, in quo ipsa Beneficiorum ad hodiernam formam erectio consistit ad imitationem feudorum & beneficiorum militarium constituta. Jure enim *Beneficii* possidere *proprietati* opponitur, & jus quoddam *usufructui* simile denotat, adeo, ut scriptores medii ævi hæc duo, *Jure Beneficii* & *Usufructuario* tenere secum invicem confundere soleant (b). Sicuti autem ipsa feuda milita-

(b) Ita Charta CAROLI CALVI Ann. DCCCLXV, in Tabul. Bellilocensi in Lemovic. num. 4. *Quandam nostri juri villam, quam ipse baccenus jure beneficiario per nostram largitionem obtinuisse visus est. Alia ejusdem Principis: Ut & quandam villam. . . usufructuario & jure beneficii omnibus diebus vite sue concederemus.* MARCVLVVS Lib. 2. form. 5. *Ne bis ad beneficium usufructuario ordine excolendum tenere permiffistis. Ita beneficium tenere & precario more.*

militaria successu temporum hanc novam induerant naturam, ut fierent quodammodo perpetua & in hæredes sanguinis ad præstanda servitia militaria habiles transfirent, ita quoque Beneficia Ecclesiastica, quæ antehac intuitu Clericorum ruralium jam quidem aliquando indulta ex nutu tamen Episcopi dependebant, facta sunt perpetua, officio videlicet certo Ecclesiastico in perpetuum addicta, ut non amplius ab Episcopo successori denegari possent, sed cuicumque in officio tali succedenti deberentur.

§. XI.

Hæc autem mutatio Juris Episcoporum pristinis quoad collationem præbendarum nihil fere detrahere debuisse. Ratio Canonum pristinorum & antiquæ politiæ eadem subsistere videbatur. Beneficia enim secundum hanc etiam formam considerata duo involvunt: Jus nimirum spirituale ministrandi Ecclesiæ & Jus inde promanans participandi congrua ex parte ejusdem Ecclesiæ proventus, quod temporale quidpiam denotat. Ministerium tanquam spirituale ex natura sua ab Episcopo pendet.



det. Bonorum vero Ecclesiasticorum licet temporalium, quia tamen Deo ejusque cultui dicata sunt, dispensatio ad eundem pertinet. Ecclesia quippe nec fundari, nec dotari, nec Ministros sortiri potest, nisi Episcopi interventu & auctoritate, cui tota diocesis concredita est, ut parenti & auctori totius in ea religionis, Apostolorumque successori, & eorum Episcoporum, qui principes & fundatores primi fuerunt omnium prorsus sub CHRISTO Principe Ecclesiarum. Ita Collator est Episcopus Ecclesiarum & Beneficiorum, quorum fundatio vel dotatio profecta est & perfecta, vel ab antecessoribus ejus, vel ab ipso, vel in commune a fidelibus quidem, sed sub ejus auctoritate & auspiciis. Hanc disciplinam SAC. XI., ubi ex præmissis Canonicatus & Præbendæ distinctæ jam obveniunt, viguisse testatur URBANUS II., qui soli Episcopo omnia Episcopatus sui membra tribuendi potestatem asserit, & ut sine venalitate distribuatur, severe cohortatur (a), conspirante in id ipsum Concilio

(a) Epist. 15. Append. Epist. 17. „ Episcopus omnia sui Episcopatus membra
„ vide-

cilio Melfitano (b) anno MLXXXIX. sub eodem UR-
 BANO II. celebrato. Concilium etiam Lateranense I. sub
 CALLISTO II. anno MCXXIII. habitum summam
 Episcoporum in quorumlibet Beneficiorum concessione
 auctoritatem luculentissimis verbis prosequitur, & sub
 rerum omnium Ecclesiasticarum dispositione beneficia
 comprehendens statuit: „Res etiam temporales Beneficio-
 „ rum & Ecclesiarum, cum pretia sint peccatorum, ho-
 „ stiaque pietatis fidelium, publicæ denique charitatis
 „ thesauri, *sacrosanctas* & ipsas suo quodam modo ac Ju-
 „ re, & *spirituales* esse, ideoque nec nisi ab Episcopis
 „ jam inde ab Apostolicis temporibus distribui potuisse. (c)

§. XII.

Veruntamen fortassis non Universalis amplius fuit hoc
 Sæc. XI. usque in XII. omnium Ecclesiarum & Dicece-
 feon

„ videlicet, Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Decanias, vel ali-
 „ quas præposituras, *Ecclesiæ suæ Canonicas* gratis absque omni venali-
 „ tate distribuat.

(b) Can. I. „ Præposituras Ecclesiæ, sive *Canonicas*, Præbendas etiam,
 „ quæ *Canonicatus* dicuntur, Episcopus sine venalitate distribuat.

(c) Can. 4.



feon observantia, certissime non perpetua; cum tot contraria posthac exempla occurrant, atque hodieum perseverent. Ut a Cathedralibus Ecclesiis; ob ipsam earum præminentiam & fortius, quo Episcopo adstringuntur, vinculum, exordium sumamus, perpauca sunt, in quibus Præbendarum Cathedralium Collatio aut Canonorum assumptio Episcopo, excluso Capitulo, ita competit, ut nec Consensum aut Consilium ejusdem exquirere necesse habeat (a). In aliis Capitulum cum Episcopo concurrat vel conjunctim vel alternative, seu per turnum. Non enim in illis Ecclesiis Cathedralibus, in quibus hæc collatio ad Episcopum & Capitulum simul spectat, idem concurrendi modus observatur. In quibusdam suffragium Episcopi æquivaluit suffragio Capituli, nec capitulariter simul elegerunt Canonici & Episcopus, sed Episcopus separatim & singulariter elegit, Capitulum vero suum suffragium Episcopi suffragio æquivalens collegialiter depromsit. Exortis propterea ob concurrentiam in diversas personas frequen-

(a) Belgicas ex ZYPÆO recenset ESPENIUS Jur. Eccles. Univ. P. II. T. 21, n. 17.

quantissimis difficultatibus & contentionibus laudabilis inolevit usus, ut ait Card. DE LUCA, (b) hujusmodi Juris exercitium dividendi per alternativam, seu per menses & tempora, ut quilibet nomine consortis totum Jus absque ullo discrepantiæ periculo exerceret. Alibi Capituli tantum consilium (c) requiri, alibi eundem Episcopum intervenire tantum ut Canonicum, & consequenter non alio, quam Canonici, suffragio gaudere Decretales docent (d). In aliis autem ad solum Capitulum spectat ex antiqua Consuetudine. Hujus rei ratio non inverosimiliter ex separatione mensarum Episcopum inter & Capitulum jam antea facta deducitur. Postquam enim bona Capituli communia ab Episcopi mensa distincta, & magnis accessionibus tum fideli ac diligenti administratione, tum piorum fidelium & Magnatum, ipsorumque adeo Episcoporum liberalitate insigniter aucta inter se distribuerunt, a nego-

E

tiis

(b) In Sum. Benefic. §. 2. Num. 10.

(c) Cap. Si ad Episcopum §. 1. ne Sed. vacent. al. innov. in 6.

(d) Capit. 15. de Concess. Præbenda vel Eccles. non vac.



tiis suis omnino Episcopum excludere cœperunt, ut nec ipsum Capitulo interesse amplius sinerent. Non mirum proinde, quod ipsum Episcopum ab electione Canoniorum tandem penitus excluderint, sibi que solis Jus electionis eorundem, conniventibus etiam sensim Episcopis, sumserint, ut, quos ex sua mensa alere deberent, sibi quoque gratos haberent. Huc quoque dominium directum bonorum conferre plurimum debuit, quorum Ususfructus vel potius dominium utile propter servitia Ecclesiæ, Vassallorum instar in feudis militaribus, per institutionem Canonicam in Ministros transfertur, unde etiam Consuetudo ista ab INNOCENTIO III. (e) probari omnino commertuit. Alias permultas hujus consuetudinis causas recenset LEOP. PILATUS (f).

§. XIII.

(e) Cap. 31. de Electione.

f) LEOP. PILATUS de Orig. Jur. Pont. Lib. 4. de beneficiis Ecclesiasticis Tit. 4. causas sequentes refert: *Si quæ vero Capitula inconsulto etiam Episcopo Canonicos eligunt, non potest hic usus, Canonum Normæ transgredere adversus aliunde, ut auguror, irrepisse, quam vel ex diutino, præsertim propter*

§. XIII.

Non minor quoque est moris illius diversitas, quem Capitula Ecclesiarum Cathedralium inter sese in exercenda hac privativa conferendi Præbendas potestate pro diversis temporibus tenuerunt. Via electionis primum communior, Juri etiam communi conformior, ab eoque probata viguisse videtur, (a) quamvis ea præcise formam in *Cap. Quia propter* 42. de *Elect.* præscriptam non exigat, quippe quæ ad majores duntaxat dignitates, quarum vacatione viduata dicitur esse Ecclesia, & in quibus Confirmatio Superioris ultra electionem desideratur, spectare videtur. Collegialiter tamen & Capitulo ad id convocato eadem necessario suscipienda esset, nec votum extra Capitulum datum attendi solet (b). Quemadmodum vero bonorum


E 2

com-

propter continua bella, Episcopatus interregno, aut ex frequentiore, præsertim in aulis Principum, & in Castris, Episcoporum absentia, aut eorum diuturna negligentia, vel desidia mala, qui præscribi eam consuetudinem passifunt, aut denique ex privilegio, quod Episcopi ipsi concesserint.

(a) *Cep.* 31. de *Elect.*

(b) BARBOSA de *Can.* n. 17. 18. 19.



communio parens erat discordiarum, ita & Jurium istorum insignium, quæ ad gratiam perpetuam, ut putabatur, personis gratis plerumque consanguineis faciendam tendunt, Communionem non leuem litium, factionum & odiorum fementem sparsisse sæpius experientia docuit, & posthac uberiorem sparsura esse potuit prævideri. Has omnes non facilius emolliri, aut potius dissipari prudens œconomia persuasit, quam divisione, quæ ita feliciter plurium Capitulorum Statutis constabilita fuit, ut, quisquis de Capituli gremio fuerit, suis potiretur vicibus, quibus ex ordine alter alterum secutus, Canonicatum aut beneficium, cui voluerit, conferret. Hæc vicissitudo *turnus* compellari solet, qui in ipso Jure communi (c) non penitus taceretur, imo per indirectum quoque approbatur. Cæteras ejus divisiones, quibus in *fixum* & *errantem*, in *majorem* & *minorem*, *providendi* & *præsentandi*, dispescitur, studiose silentio prætermittimus cum nullatenus substantiam immurent, imo nec attingant. Longius ab eo discedunt
nomi-

(c) Cap. 41. de Præb. & Dign.

nominaciones ita dictæ *utiles*, quæ necdum vacante Præbenda jam dari assolent, ideoque in quibusdam Conciliis Provincialibus ac Diœcesanis prohibitæ; (*d*) in eo tamen conveniunt, quod per singulos de Capitulo exercentur & ab integris Capitulis admittantur. De his certum est, nundum per eas Jus Patronatus Ecclesiasticum exerceri, ipsam vero provisionem & Collationem Præbendæ a Capitulo fieri. Ubi e contra, vacante jam Præbenda, vi Turni vel fixi vel errantis, per singulos subiecti electio contingit, magis dubitari potest, annon etiam ipsum Jus in re ac verum titulum conferant. Sed & tum verius censetur solam nominationem ab iis jure cesso & quasi delegato vel repræsentatio totius Capituli exerceri, collatione ipsa & insti-

E 3

(*d*) Concil. Diœces. Wirceburgense de anno MCCCCLI. *Tit. de Vita & Honest. Cleric.* verbis; „Sancta etiam Synodus, quia informata est, in „ nonnullis Ecclesiis Provinciæ Moguntinæ, tam Cathedralibus, quam „ Collegiatis, pessimas & Juri Divino & positivo ac rationi contrarias „ vigere, & ex corruptela introductas esse consuetudines, præsertim in „ nominando personas ante vacationem Beneficii, & sæpe pueros sine discretionem ante annum 14tum, habendo minime respectum ad Ecclesiam & Dei cultum, sed potius ad carnem vel aliud commodum, &c.



institutione Canonica eidem integra, salva atque præservata.

§. XIV.

Quoad Ecclesias Collegiatas & beneficia quæque iisdem adscripta major est præsumtio contra Episcopum ex ipso etiam Jure communi. Sicut enim naturale est, ut Canonici Cathedralis una cum Episcopo tanquam suo capite eligant corporis sui membra; ita quoque Jure communi electio Canonorum Ecclesiarum Collegiatarum spectare videtur ad Canonicos una cum suo quondam Præposito, nunc Decano aut Superiore illo, qui cum Canonicis unum corpus, quod Capitulum dicimus, constituit. Neque tanta est communio inter Episcopum & Ecclesiam inferiorem Collegiatam sibi subjectam, quanta inter Episcopum & Ecclesiam suam Cathedralis. Et sicut aliorum bonorum ad has Ecclesias inferiores pertinentium administratio iisdem relinquitur, ita & Præbendarum collatio. (a) Neque

(a) In permultis autem præsentatio sive electio ab institutione seu confirmatio.

que tamen etiam, excluso Episcopo, istarum uniformis est observantia, per quem ex gremio Capituli eadem expleatur. Quia enim multæ Ecclesiæ Collegiatæ aliquando vel Regulares fuere, velsaltem ad Regulam S. G R O D O G A N G I, quæ Benedictinam magna ex parte imitata fuerat; electio Canoniorum etiam in aliquibus illarum mansit apud solum Præpositum vel Decanum, tanquam qui tempore regularitatis Caput fuerat Congregationis, prout jam supra commonstratum ivimus. Hujus vero moris rariora forsitan exempla exhiberi poterunt, nisi in Canonissarum Collegiis quædam reliquiæ supersint. Nam adeo Regularium Canoniorum Collegia potius ad Juris communis observantiam provocant & anhelant, ac præter Jus proponendi, vota colligendi, concludendi & decidendi nihil prærogativæ singularis suis Præpositis concessum autumant, nisi spontaneam quandam ad nutus Superioris proclivita-

tem

tionem distinguitur, ac prior Præposito collegioque illius Ecclesiæ permittitur, posterior vero Episcopo tanquam superiori reservatur, qui vero in aliis hanc ipsam quoque collegiis ex inveterata observantia remississe censetur.



tem aut reverentia, aut metus, aut complacendi quandoque & assentandi studium suadeant. Ceteræ autem vicissitudines quoad actuale exercitium hujus Juris de Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, §. preced. enarratæ, huc quoque pertinent, ut verissime exinde concludatur, in his omnibus, quemadmodum & in aliorum Beneficiorum provisione, attendendum esse usum singularum Ecclesiarum, qui, sive ex Jure communi, sive speciali fundatione, sive legitima præscriptione aut privilegio originem habeat, servandus sit: cum hic nonnisi de puncto disciplinæ agatur, quæ pro temporum & locorum varietate varia esse potest.

§. XV.

Intuitu Beneficiorum autem extra suas Ecclesias existentium jus conferendi ad utriusque nominis Capitula pariterque Monasteria variis modis titulisque sensim pervenit. Imo Capitulo Cabillonensi, quod Præbendas Domesticas conferre non poterat, Parochias quasdam rurales obnoxias fuisse refert THOMASSINUS (a). Non defuisse

(a) Concil. Turon. III, notante THOMASSINO P. II, L. I, Cap. 31, n. 1, & 2.

fuisse Ecclesias vel Capellas ex Reditibus Ecclesiasticorum collegiorum fundatas, in commodum præsertim hominum ad ea attinentium, vix dubitari poterit. Non defuerunt etiam Patroni Laici, qui suum Jus Patronatus fundatione acquisitum Monasteriis cesserint, aut prædia sua eodem tanquam reali & inhærente prædita in eadem transtulerint. Sed rariores hæc causæ supponi possunt. Sunt enim innumera Collegia, quibus hoc Jus quoad plura Beneficia & Ecclesias vel Capellas extraneas coheret, in quibus tamen neutrum fundamentum deprehenditur. Unde copiosius ista facultas ex aliis titulis plane heterogeneis, nec pari favore Canonum dignis, iisdem successive accrevit. Mitior Titulus fuit donatio Ecclesiarum sive Decimarum, quas Laici sive Usurpatores sive antehac infeudati in Monasteria & Collegia potius, quam in singulares Ecclesias transferre amarunt. Has enim Jus designandi Ecclesiæ Rectorem vel eligendi sequi censebatur, qui ex decimis alendus fuerat, ne nimirum alere tenerentur, qui displiceret. Odiosior fuerat Commendarum introductio per

F

CLE-



CLEMENTEM V. potissimum facta. Qui enim Ecclesiam residentialem præter titulum suum proprium sibi commendatam perpetuo habuit, alium Vicarium necessario constituit, suas quasi vices & personam subiturum, itaque per indirectum Jus Patronatus acquisivit. In idem fere uniones Ecclesiarum recidunt quoad hunc effectum. Proprie dictum Jus Patronatus Collegia vel dignitates eorum tanquam Rectores principales exercere vix possunt, cum nemo servitutem in suo, in Ecclesia videlicet sibi per unionem pleno jure subiecta, habere possit. Principalis nimirum tanquam mandans suum Mandatarium constituit. Cum vero in perpetuum Vicarios ejusmodi Ecclesiis Parochialibus præfici Concilium Tridentinum, laudatissimis Lateranensis vestigiis inhærens, præcipiat; inspecta rei veritate, idem præstant, quod alias Patronus. Saltem omni dubio caret, per hanc speciem Patronum Laicum, qui ante unionem hanc Jus patronatus in illam Ecclesiam habebat, Jus suum amittere, cum in posterum id exerceri debeat a Rectore Principali. Aequè frequen-
tia

tia occurrunt Episcoporum privilegia & Concessionem, quibus & præscriptio aut observantia, præsertim immemorialis, æquivaleret, & concessionem ejusmodi ab initio intervenisse præsumi facit.

§. XVI.

Quoad hæc tamen omnia Beneficia extra Ecclesias jure Collegii insignitas existentia multo fortior pro solo Episcopo, in cujus Dicecesi sita sunt, militat præsumtio (a), quod ad ipsum eorum Collatio pertineat, quia per hanc Clerici titulum & Jus functiones sacras in Ecclesia peragendi sortiuntur. Nihil autem naturalius est, quam ut hi tituli per Episcopum, tanquam suæ Ecclesiæ Caput & primum Ministrum, distribuantur, & Ministri inferiores eligantur; id quod favorabile est, utpote in sacris Canonibus fundatum, ipsique Ministerio Episcopali quodammodo congenitum. Quare qui ex supra recensitis sive Clericis sive Laicis Episcopum ab eorundem collatione vel

F 2

ex-

(a) Conf. ESPEN Jur. Eccles. Univ. P. II. Tit. 21. Num. 6. Cardin. DE LUCA in Summ. de Benefic. §. 2. n. 6.



excludere, vel ejus collationem restringere prætendit, ei titulus quidam ex prælibatis concludenter probandus erit, alias in dubio semper pro Episcopo, aut Beneficii, Ecclesiæ libertate judicandum.

§. XVII.

Porro discerpto semel in tot alios inferiores pretioso alias Episcopalis mitræ cimelio, plura enata sunt incommoda, ut plena iis non amplius esset in eligendis Ministris Ecclesiarum suarum libertas, & quamvis provisi de Præbenda sine sacris Ordinibus Ecclesiarum Ministerio se ingerere haud possent; ipsa tamen Præbenda semel recepta, difficilis erat ab his rejectio eorum, qui Episcopo minus probari invenirentur. Jure enim quæsito & commodo tam insigni & multo insigniorum spe eos privare durum & inhumanum nimis videretur, imo periculo recursus ad Superiorem & contentionum odiosissimarum haud vacabit. Omnis præterea eidem via præcluditur, aut bene meritos de Ecclesia remunerandi, aut quos Ecclesiis utiles ac suis servitiis idoneos judicat, applicandi, exstimulandi

landi & promovendi. Sola illi Ordinatio superest, sed sterilis & vaga, quæ ipsa vel inde etiam onerosa & damnoſa redditur, quod a se ordinatis modo beneficium, quod conferat, ipsi sit conquirendum, aut in hujus defectu alendi ordinatum ex propriæ mensæ suæ redditibus, quæ spectatis cæteris oneribus permultis sæpe arcta est, necessitate constringatur (a).


§. XVIII.

Denique nec postremum illud fuit incommodum, quod Romanus Pontifex in Beneficiorum collationem in aliis Dicecesibus immediate se ingereret, cujus rei antea occasio plane defuerat, ubi Beneficii collatio ab ordinatione indistincta erat. Ante Sæculi XII. medium frustra exemplum immediati alicujus circa Beneficia interventus Pontificis extra Dicecesin Romanam requiretur. Quod vero in inferiora quæque Diceceson membra divulgatum jam uberrime fuerat, Jus conferendi Beneficia Pontif-

F 3

ces

(a) Conf. Cap. *Episcopus* 4. & Cap. *Cum secundum Apostolum* 16. de Præb. & Dig. & Concil. Trident. Cap. 9. Sess. 23. de Reform.



ces sibi, tanquam supremis omnium Ecclesiarum Pastoribus, penitus denegari, salva æquitate, non posse existimabant. Nec sua illos spes fefellit, cum æque pronos ad annuendum ab initio Episcopos experirentur. Ubi autem mandatis, minis & executorialibus ac reservationibus sibi utendum esse viderunt, minus solita in Episcopos, queis tanquam fratribus Antecessores Pontifices semper magnam habuerunt reverentiam, consideratio obstare potuit, cum minus iis præjudicium fieret, majus vero inferioribus non æquali consideratione dignis, imo & infirmioribus accederet.

§. XIX.

Prolixum videlicet nimis foret, & a scopo nostro alienum, hoc loco percensere latius modesta illa Summorum Pontificum initia, progressus lentos ac demum plenissimam irruptionem in Jura conferendi Beneficia, quomodo nimirum precibus & literis commendatiis monitoria, præceptoriam, comminatoriam & executorialibus successe-

cesserint, (a) salva tamen collatione ipsa, cujus auctoritas ipsismet Collatoribus intacta permanfit, quamvis per mandata de providendo ad certam personam adstringerentur, in unica insuper vice ita conclusa, ut iteratis secrete denegaretur annutus. (b) Auctoritatem conferendi sustulit Jus praeventionis aut simultaneus concursus. Hoc plerumque frustrato ad expectativas vel expressas vel mentales ac reservationes speciales unius alteriusve Beneficii particulari rescripto singularem duntaxat collatorem constringente inductas, ab his demum ad generales certi generis Beneficiorum per modum legis universalis sive in Corpore Juris, sive in Extravagantibus ac Regulis Cancellariae constitutas processum fuit. Ab his omnibus libertatem sibi restitutam Ordinarii Germaniae gratulabantur, dum Natio neutralitatem amplexata Decreta simul Basiliensia, quibus eadem, unica excepta, quae *clausa* in Cor-

pore

(a) Conf. Cap. 30. 37. 38. & 40. de Rescriptis.

(b) Conf. Cap. 30. X. de Rescriptis notanter in parte decis; item Cap. 38. X. eod. & Cap. 2. eod. in quinta Compilatione Decretalium HONORII III. per CIRONIUM.



pore Juris aut *Juris scripti* dicitur, penitus abrogatæ fuerant, solenni Instrumento anno MCCCCXXXIX. accep-
tavit, (c) eorumque posthac observantiæ firmitatem a Se-
de Apostolica impetravit. (d) Aliquibus tamen rursus ir-
retiti sunt, dum eadem Natio Germanica *compensationis*
& *redhostimenti loco*, quod EUGENIUS IV. in ipsa De-
cretorum eorundem adsecuratione sibi consensu Nationis
repræstandum poposcerat, certas speciatim expressas, eas-
que modificatas in Concordato posteriori Aschaffenburgi
concluso summo Pontifici salvas fore spondit, quæ uti-
que solennis Pacti & Transactionis Religione firmata sta-
bilitæque verum strictumque Jus Curia Romanæ pepe-
rerunt, quod, salva Germana fide, posthac violari & in-
fringi non poterit, nisi in futuro Concilio, quod tamen
neque in Lateranensi V., neque in Tridentino præstitum
fuit, aliter de consensu inlyctæ Nationis fuerit ordinatum.

§. XX.

(c) Conf. Concordata Nationis Germanicæ integra in serie documentorum
num. 2.

(d) Bulla: *Ad tranquillitatem* EUGENII IV. de ann. MCCCCXLVII. ibid.
num. 5.

§. XX.

Ex contracta hac historiae serie pronum est dijudicare, Pontificem Romanum Ordinariis Beneficiorum Germaniae Collatoribus haud esse accensendum, quamvis per multa conferendi Jus perpetuo sibi firmatum nunc habeat. Novimus equidem, CLEMENTEM IV. in Cap. *Licet 2. de Præbendis & dignitatibus* in VI, ex plenitudine potestatis sibi omnium Ecclesiarum & Beneficiorum non modo vacantium, sed & non vacantium, & antequam vacent, plenariam dispositionem asseruisse. Exinde communis Decretalistarum & Curialistarum promanavit doctrina, Summum Pontificem, tanquam Ordinarium Ordinariorum, hac potestate in omnibus particularibus totius orbis Catholici Ecclesiis pol-
 lere. At vero uni Supremo omnium Ecclesiarum Capiti & Reктору talem potestatem communicatam esse nuspiam ostenditur. Cum solida potius regendi Diceceses potestate hanc constituendi Ministros curam ejus veluti partem, Episcopis concreditam esse ex Apostolo discimus. (a) Testatur id etiam omnis antiquitas superioribus deducta hujus Dissertationis Paragraphis, quæ utique damnari non poterit tanquam alienæ potestatis usurpatrix, sine ullo

G

Pon-

(a) Epist. ad TIT. Cap. I. v. 5.



Pontificis interventu distributa fuisse quævis Diceceleon particularium quarumcunque officia. Accedit, quod ea potestas a CHRISTO suo in terris Vicario concessa tantummodo esse præsumi possit, quæ in ædificationem Corporis ejus Myltici sive Ecclesiæ cedat, non vero in destructionem. Fieri autem non potest, ut unus Summus Pontifex ex hominibus assumptus, humanis propterea & ipse infirmitatibus circumdatus, alienis inde informationibus ad qualitates personarum dignoscendas, ad status præsentis circumstantias, necessitates & utilitates singularum Ecclesiarum perspicendas indigens, omnibus membris ubique in toto terrarum orbe latissime diffusis, officia sua recte, convenienter & utiliter distribuat. Nemo igitur prudens persuadere sibi poterit, eundem a CHRISTO accepisse potestatem, quam rite & ad Ecclesiæ utilitatem administrare non posset, & ad cujus exercitium aliis perpetuo relinquendum ex natura rei & necessitate inevitabili constringeretur. Quæ proinde Summo Pontifici indubitata nunc asseritur, quædam Beneficia speciatim excepta conferendi facultas aliunde, quam ex Jure divino, aut ex Primatu

matu, in omnes Ecclesias totius orbis divinitus instituto ei-
 dem accesserit, necesse est, ex reservationibus videlicet
 partim speciali Juris textu ferius invecis, partim Conci-
 liorum etiam Universalium autoritate agnitis, partim con-
 suetudine aut expresso populorum, præsertim Nationis
 Germanicæ, consensu ad tempus saltem corroboratis.
 Hac ergo dum utitur, extraordinaria Beneficiorum col-
 latio censetur, & ipsemet Summus Pontifex, utpote titulo
 speciali Juris cujusdam singularis & Pacti publici, tanquam
 exceptionis sive reservationis aliquorum tantum Beneficio-
 rum nixus, contra quem Jus primorum duodecim fere
 sæculorum, præsumtio communis Decretalium & regu-
 la antiquissimo Ecclesiæ universæ usu roborata militat, in-
 ter extraordinarios collatores numerandus erit. Consenti-
 unt equidem ipsimet rigidiores Decretalium sectatores,
 qui licet phrasi Capituli supra allegati quoad literam insistant,
 & Curix assentionibus tenacius adhæreant, sponte tamen
 sua consententur, Summum Pontificem *ordinarie & regu-
 lariter* Summo Jure suo uti nec debere nec solere, neque



provisionibus immediate se ingerere; sed dispositionem ordinarie Episcopis aut quibuscunque aliis Collatoribus, utpote status Ecclesiarum & meritorum personarum magis propiusque gnaris, relinquendam esse. Veruntamen cohærentior certe nostra est Logica Juridica æque ac Historica. Multo igitur potiori Jure in horum censum veniunt omnes illi, qui nonnisi ex speciali favore, privilegio aut Indulto Summi Pontificis, sive temporali sive perpetuo, Beneficia ad ejus Collationem pertinentia, vel ratione vacationis in mensibus Pontificiis reservata, ejusdem nomine conferendi facultatem obtinent.

§. XXI.

Simile Argumentum ad eos omnes inferiores Nationales spectare videtur, quibus præter Episcopum Diocesanim aliqua circa Beneficia potestas competit, si Capitula Ecclesiarum, maxime Collegiatarum intuitu Beneficiorum iisdem adscriptorum, exceperis. Nam & istitulo tantum speciali seu foundationis, dotationis, sive incorporationis, Decimarum unionis, Commendarum aut privilegii & concessio-


cessionis Episcopi expressæ, aut tacitæ, ex præscriptione aut diuturna observantia resultantis, jus istiusmodi adquisitionum, ideoque ab iis adversus Episcopum concludenter probandum esse, ex præmissis in aprico est. Ubi tamen intuitu Summi Pontificis & eorum, qui ex cessione aut indulto ejusdem speciali alicujus circa collationem potestatis participes fiunt, non minus, quam Episcopus ipsemet in sua Dicecesi, Ordinariorum nomine compellantur, & ab omnibus JCTis intelliguntur, prout intelligit cum GARCIA (a) ESPENIUS (b) quosvis illos, quibus *quocunque titulo* competit Jus Collationis nomine proprio, quo dici queant Collatores *Jure suo seu ordinario*, non vero ex alicujus *speciali delegatione pro hac illave vice*, adeo ut nec Patroni, nec Turnarii quoque Capitulorum excludi velint, quamvis illi Collatores proprie non sint, hi vero pro hac tantum vice nomine Capituli nominent aut conferant; quia tamen Jure suo vi Canonatus, quem possident,

G 3

fident,

(a) GARCIA de beneficiis P. 5. C. 4. num 1. & 2.

(b) ESPENIUS Jur Eccl, Univ. P. II. Tit. 21. num. 2.



fident, ex stabili Ecclesiarum suarum lege, statuto aut consuetudine id faciunt. Unde & Concordata studiose latiore phrasi aliquoties utuntur, & circumscriptione per ampla quoslibet provisionis modos comprehendunt: *Ad quos Collatio, provisio, presentatio, electio aut alia quævis Dispositio pertinet.* Item: *Ordinarius vel alius, ad quem illius (Beneficii) dispositio pertinebit.* Beneficia autem ipsa Ordinariis relicta circumscribuntur: *De quibus JURE ORDINARIO* providetur per illos inferiores, ad quos alias pertinet (c).

§. XXII.

Nihilominus ex identitate nominum ad identitatem Jurium omnimodam nullum valere argumentum, tam expeditum inter omnes est, ut demonstratione non egeat. Ubi intuitu Episcopi isti omnes considerantur, latissimo ab eodem intervallo distant. Sicut enim quoad Jurisdictionem contentiosam in Dicecesi Episcopi administran-

(c) Vid. Concord. Aschaffenb. & Bulla NICOLAI V. §. de cæteris dignitatibus.

strandam, inferiores quidam vi sua Dignitatis & Magistratus, quem gerunt, lege perpetua forum quoddam primæ instantiæ habere possunt, in quo tanquam *Ordinarii* Judices in omnibus causis speciatim non exceptis ordinarie adiri possunt; & solus tamen Episcopus *Ordinarius* Judex per *Antonomastiam* & *excellentiã* audit; ita etiam quoad hanc Jurisdictionem voluntariam & officiorum vel Ministeriorum distributionem Episcopus per *antonomastiam Ordinarius* eorundem Dispensator, non obstante partis alicujus in reliquos derivatione, perseverat. Alii *inferiores* audiunt, solus ipse *primarius* & *eminens* intelligitur. *Primarius*, quod ipse primum ante reliquos omnes solus ac privative id juris exercuerit, & ab ipso ceu fonte primavo in reliquos modo effluerit, atque, ubi nemo alius id sibi specialiter delatum esse ostenderit, hodieum regulam Juris sibi suffragantem habeat. *Eminens* vero, quod reliquorum omnium potestas ab eodem dependeat, eique perpetuo subordinata censeatur.

§. XXIII.



§. XXIII.

Ex utraque hac prærogativa fluunt permulti Juris effectus, quos Episcopo sive intuitu aliorum aut Patronorum aut Collatorum inferiorum, sive intuitu ipsiusmet etiam *Summi Pontificis* tanquam *Collatoris extraordinarii* & eorum, qui ejus beneficio & singulari *Indulto* conferendi Beneficia potestatem in ejus Diœcesi participant, Canonicis ex fundamentis asserere oportet. Et quidem primarii & nativi Collatoris conceptus ex natura sua, præter præsumptionem communem aliquoties jam assertam, inferri facit, quod, quamvis inferioribus exercitium aliquod actuale potestatis conferendi contulerit, ipsa tamen potestas primæva & radicalis in habitu penes eundem semper remanserit, illoque abdicato hæc retenta & inabdicata, imo inabdicabilis intelligatur. Facit hæc, ut Episcopus beneficium, alteri Collatori vel Patrono affectum, valide conferat. Ejus videlicet Collatio verum Jus aut Titulum Collatio imprimis, eumque etiam firmum atque perpetuum adversus quemcunque alium contradictorem aut impetratem. Respectu solius autem Patroni vel Collatoris, quamvis


vis

vis Summo Jure propter potestatem in Episcopo residentem valeat, retractari & annullari poterit, ipso videlicet intra tempus a Jure præfinitum conquerente & alium nominante ac designante, ubi tum demum (a) non obstante priori provisione Episcopi, quæ ex tunc modo ipso facta irritatur, quin sententia speciali opus sit, de novo ordinari debet Ecclesia. Consummata econtra Patroni negligentia, prior Episcopi Collatio in suo robore persistit, non quidem virtute taciti Consensus ipsius Patroni vel Collatoris inferioris, tanquam supervenientis causæ confirmantis, quæ novum jus tribuat, sed ex primæva sua & ordinaria virtute ac potestate, adeo, ut diferte & proprie loquendo non tam reconvalescat, aut convalescere modo incipiat, sed tantum non resolvatur. Est enim Jus Patronatus species tantum servitutis, quæ ipsam collationis substantiam non attingit, sed, si facta fuerit nominatio, tum demum Episcopum, ut collationem vel institutionem nominato impertiatur, adstringit.

H

§. XXIV.

(a) Juxta Can. Decernimus, 32. XVI. Qu. 7.



§. XXIV.

Primaria hæc Episcopi Authoritas in Jure propterea instituenti præfulget. Institutio enim proprie est ipsa Beneficii vera Collatio seu tituli Canonica datio, sine qua ipsum Beneficium haberi non posse prima Regula Juris in VI. Decretalium pronuntiat. Id Synodi omnes Sæculi XI. & XII. intenderunt, ubi Laicorum investituras proscribere (a). Rationem enim potissimum eas execrandi non inde peti facile animadvertitur, quod Laicus pedum pastorale, quod annulum, Librum, aut quodvis Ecclesiastica dignitatis vel muneris insigne aut Symbolum contulerit. Ea enim mera fuisset ceremonia, præpostera quidem, sed quæ provida ex dispensatione vel œconomia tolerari potuisset. Sed inde certissime, quod Laici Beneficia qualibet largiri attentarent autoritate sua, nullo examine, nulla approbatione Episcopi accedente, id quod necessariæ divinæ vocationi atque missioni manifeste repugna-

(a) Animadvertente THOMASINO V. & N. Disc. P. II. L. I. Cap. 55.

pugnare visum fuit. Et quamvis quoad Ecclesiasticos inferiores sensim mitiores evaserint Decretales, idemque Jus Clericis saltem inferioribus vel ex privilegio vel ex consuetudine aut prescriptione acquiri permiserint; (b) a frequenti tamen Episcoporum delatione & conniventia id ortum fuisse indubitatum est. Imo cum experientia edocti Patres Tridentini perspexissent, ab his quosvis Clericos sine delectu, examine & scitu Episcopi institui, nec tantum ad Beneficia simplicia, sed etiam curata, quid? quod inidoneos sæpe intrudi & admitti, iteratis Decretis, quantum potuerunt, hanc auctoritatem Episcopis restitutam cupierunt (c); aut ubi obstante privilegio (quæ omnia abrogare tempestivum non videbatur) non potuerunt, prævium tamen Episcoporum examen subire eos iusserunt, qui ab aliis institui vellent, (d) ita ut nullus in Ecclesiæ Ministerium per Beneficii collativam Institutionem sine


H 2

Episco-

(b) ESPEN Jur. Eccles. Univ. P. II. Tit. 26. num. 7.

(c) Conc. Trid. Sess. 14. Cap. 12. & 13.

(d) Ibid. Sess. 7. Cap. 13. & Sess. 25. Cap. 9.



Episcopi admissione & approbatione assumi posset. Praxis equidem & consuetudo Dioeceseon quamplurimarum hanc Ss. Concilii Tridentini mentem in ea latitudine, qua omnia omnino Beneficia, etiam simplicia, aut ad nullam animarum curam adstricta comprehendit, non assequitur; quotidie enim videmus ab Ecclesiasticis Collatoribus aut Capitulis aliisque jus instituendi habentibus sine ullo Ordinariorum examine aut præscitu admitti, nihilque præter testimonium morum, literas tonsuræ, aut alterius Ordinis, ætatis vel gradus, legitimitatis aut nobilitatis alteriusve qualitatis exigi. Veruntamen quoad Beneficia, quibus cura animarum est annexa, Decreta hæc examen & approbationem Instituendorum requirentia ubique suum catenus vigorem habent, ut nemo absque Episcopi examine & approbatione curam animarum Beneficiis illis annexam obtinere aut exercere queat, uti dudum ALEXANDER III. constituerat (e), & Synodi quoque Provinciales ac Dioecesanæ sedulo confervarunt. (f)

§. XXV.

(e) Cap. *Cum satis sit absurdum*, 4. de offic. Archidiacon.

(f) Conf. Constitutiones Synodales GODEFRIDI IV. Episcopi Wirceburgen-


§. XXV.

In casibus quoque resignationum spectato saltem Jure communi Decretalium, major Episcopi autoritas elucet. Non enim minus hodie per Beneficii receptionem & canonicam Institutionem Ministri servitio Ecclesiæ suæ alligantur, quam dum olim per sacram ordinationem iisdem adscripti fuerant. Unde sicut tum non poterant, ita nec hodie possunt eandem Episcopo deserere inconsulto, & causam discessus eorum comprobante, qui solus vinculum illud, quo per institutionem canonicam sunt alliga-

H 3

ti,

genis de anno MCCCCXLVI. ubi *Tit. de officio Archidiaconi* refert Constitutionem JOANNIS Episcopi: „ Quoniam nullus omnino Archidiaconus, Archipresbyter, Præpositus sive Decanus, animarum curam sine judicio vel consensu Episcopi Diocesani alicui tribuendi habet facultatem, imo sicut a Sanctis Patribus est statutum, animarum cura in solius Episcopi potestate consistit, nec obtentu alicujus consuetudinis debent institutiones, ut puta, quæ ad ipsorum non spectant officium, vindicare, neminique liceat sine mandato vel licentia Episcopi curam committere animarum; Universi & singulis Archidiaconis nostræ Ecclesiæ, eorum officilibus præsentibus & futuris districtius inhibemus, ne alicui sine nostra licentia curam præsumant committere antedictam. Alioquin ipsorum quemlibet excommunicationis sententiæ eo ipso volumus subjacere.



ei, possit dissolvere, uti ALEXANDER III. (a) constituit. Inde Canonistæ in ejus manus resignationem fieri debere concludunt, qui non solum *instituendi*, sed & *destituendi* simul potestatem habet (b). Et quamvis partim ex simplicium & purarum resignationum infrequentia, partim ex nimia quoad Beneficia inferiora & simplicia in iis admittendis facilitate (cum facile acquiescerent Beneficia dimitti, quæ aliis sæpe melioribus & dignioribus conferri possent) Episcopi parum de retinenda hac sua auctoritate solliciti fuerint, & hanc quoque resignationes admittendi facultatem inferioribus Collatoribus permiserint; quoad curata tamen Beneficia eadem curatius adhuc conservatur.

§. XXVI.

Multo luculentius idem in permutationibus Beneficiorum relucet. Hæ equidem de Jure prohibitæ censentur *Cap. 5. de rerum permut.* si tanquam conventiones mutua

(a) Cap. Admonet. 4. de Renuntiat.

(b) GARCIAS de Beneficiis P. XI. Cap. 3. num 251. eum plur. alleg.

mutuæ privatorum spectentur; *Episcopo* ramen auctoritas relinquatur, Beneficiatos de uno loco ad alium transferendi, si id in utilitatem Ecclesiarum cedere posse perspexerit, uti Pontifex ibidem subjungit: „ Si autem „ *Episcopus* causam inspexerit necessariam, licite poterit „ de uno loco ad alium transferre personas, ut, quæ uni „ loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere. Unde communi Canonistarum calculo, & spectato Decretalium Jure, approbatio permutationis de quibuscunque Beneficiis Jurisdictioni Episcopi subjectis soli Episcopo afferitur, tamen si eorum collatio aliis competat. Suffragatur quippe canonica ratio, qua ipsis tanquam primariis Diceceseos suæ Reſtoribus præcipue incumbit judicare & declarare, an expediat personas de una ad aliam Ecclesiam translocari. Quod idem rursus maxime fortiusque in Parochialibus Ecclesiis stringit. Consensus equidem inferiorum Collatorum haud est prætermittendus; cum & mutua Beneficiorum collatio requiratur, ne eorum Juri quidpiam derogare aut pro futuris casibus præjudicare velle



velle videatur. Eo tamen pertinaciter denegato, si Episcopus valde & evidenter utiliozem aut plane necessariam translationem esse perspexerit, cogere eundem poterit, aut hunc Consensus defectum supplere, aut cum clausula Juris conferendi in futuris casibus salvatoria permutacionem approbando ipsemet immediate hac vice compermutanti conferre.

§. XXVII.

Nec minori consideratione dignum est, quod Episcopus in omnibus Ecclesiis inferiori vel Patrono, vel Collatori affectis tempore vacationis *Vicarium*, quem *Deservitorem* etiam vocare solent, constituere sine ullius consensu possit, qui interim tempore vacationis, & donec de proprio Rectore, mediante nominatione aut collatione ejus, ad quem pertinet, provideri possit, curam Ministerii spiritualis, praesertim Parochialis, habeat, & Sacramenta populo administret; imo quia his populus nunquam carere potest, tanquam pars officii ac debiti Pastoralis eminentis, haec eidem obligatio severe a Concilio
Tri-

Tridentino inculcatur (a). Quæ in locis remotioribus ad evitandum omne animarum periculum in Decanos rurales quasi perpetuos Episcopi Commissarios vi generalis eorundem Instructionis, aut his etiam remotius degentibus in nominatos a Defuncto Testamenti executores Ecclesiasticos translata censetur (b).

§. XXVIII.

Idipsum quoque Statuit Rectoribus quidem Ecclesiæ superstitibus, qui tamen aut imperiti & illiterati & Sacris minus apti officiis, alioquin vero honestæ vitæ sint, ut & cum Episcopi Coadjutores aut Vicarios eisdem depu-

I

ta-

(a) Conc. Trident. Sess. 24. Cap. 18. de Reform.

(b) Conf. Norma Practica ultimarum voluntatum P. II. Cap. 2. num 4. „ Qui
 „ primus eorum (Testamentarii vel Decanus) advenerit; illico requiret
 „ claves Tabernaculi, Ss. oleorum &c. easque custodiet, ac Curæ Ani-
 „ marum sollicitè providebit. Quem in finem vigore presentium a
 „ Regimine Ecclesiastico Decano Capituli, & si tempus urgeat, ipsis Te-
 „ stamentariis expressa conceditur facultas, dictam Curam vel per se ip-
 „ sos administrandi, vel alium Sacerdotem approbatum & ad hoc mu-
 „ nus idoneum provisionaliter deputandi, donec a Superioribus idem
 „ pro Vicario Parochiæ confirmetur, vel illius loco alius constituitur.



tare & his partem quoque fructuum pro sufficienti victu assignare valeant, quacunq; appellatione & exemptione remota. Hac etiam causa deficiente, si aliunde excrescens populi multitudo plurimum Ministrorum operam desideret, non excedit Episcopi potestatem, alios minores Presbyteros Rectoribus Principalibus adjungere, & eidem Ecclesie tanquam perpetuos Adjuutores addicere sine ullo inferioris concursu aut interventu, vel presentatione, eo quod huic nullum per assumptionem ejusmodi præjudicium fiat, qui, Rectore principali mortuo, alteri cuicumque gratificari non prohibetur, præterito defuncti adjutore. Et quidem ad tempus vitæ ipsius actualis Rectoris nequidem consensu cujuscunque inferioris opus esse dubio caret, si ipse Rector eundem in subsidium sibi adjungi petierit, propriisque eum redditibus sui Beneficii, vel ab Episcopo suppletis, sustentare proponat. Ultra hos vero terminos & ad quemcunque etiam successorem perpetuo hoc onere sustentationis onerandum, Patroni laici utique consensus requiretur, ne Beneficium eidem affectum diminuatur;

nulla

nulla tamen, hoc præstito, specialis nominatio aut præsen-
 tatio. (a) Patroni e contra vel Collatoris Ecclesiastici inferioris
 consensus facilis suppleri poterit, ubi reditus Beneficii
 principalis ad ferendum hoc onus, quod necessitas publi-
 ca & animarum salus exigere supponitur, sufficiunt.
 Quid? quod his insufficientibus, si ex unione Ecclesia-
 rum, vel saltem donatione & incorporatione decimarum,
 Jus illud nominandi aut conferendi originem suam habue-
 rit, aut cum ea sit conjunctum, ad hos ipsos supplendos
 ac subministrandos in subsidium compellendi sunt. Quod
 enim sustentatis omnibus necessariis Ecclesiæ oneribus, ad
 quæ eadem Adjutoris necessarij sustentatio reducitur, su-
 perabundat, iis tantum debetur, atque juxta Canones ac
 incorporantium mentem donatum fuisse censetur. (b)

I 2

§. XXIX.

(a) Cap. Postulasti 30. de Jure Patron.

(b) Cap. Extirpandæ 30. de Præb. & Dignit. & Cap. de Monachis 12. eod.
 Add. ESPEN Jur. Ecclef. Univ. P. II. Tit. 34. Cap. 4. num. 24. & 27.
 cum alleg. ibid. REBUFFO & PANORMITANO.

§. XXIX.

Eminentiam præterea Juris Episcopalis *Jus devolutionis* commonstrat. Duplici id casu subintrat, ubi vel inferior tempore per Canones præfinito Collationem negligit, vel intra id temporis indignum & inidoneum Episcopo obtrudit, aut certe simoniace facultate sua abutitur. Quoad Episcopatus conferendos huic Juri ex JUSTINIANI legibus autoritas jam conciliabatur ei post sextum mensem vacationis suffragantibus, qui Jure fruitur consecrationis (a). Quoad inferiora Beneficia HINCMARUS Rhemenfis Archiepiscopus in literis ad Tardunensis pagi Comitem datis (b) aperte docet, certo tempore, quod proximorum 4. temporum ordinationi præfixum indigitat, arctatum illum esse, quo elapso ipse suo arbitrio constituturus

(a) Vid. Novel. 123. Cap. 1.

(b) Apud FLODOARDUM Lib. 3. Cap. 26. Pro loco vacante sine Presbytero, monens, ut quantocius Clericum sacro Ministerio aptum ostendat, qui valeat, ibi ordinari, sciens pro certo, quia *post ordinationem*, quæ fieri debebat in proximo, ipsum locum sine Presbytero non dimitteret; quia nec cum Mercenario, nec sine Pastore proprio ipsos homines audebat dimittere.

turus esset Ministrum, qui proprius esset, nec mercenarius (c). Et si is *dignum* non inveniret, ipse ordinaturus esset, qualem *meliozem* invenire potuerit; quo ipso etiam intelligimus, Episcopum, ubi inferioris impleret vice, & devoluta uteretur potestate, non dignum tantum, sed digniorem eligere debuisse. Idem HINCMARUS alium

I 3 Comi-

(c) Non inverosimilis inde origo satis antiqua temporis Patronis a jure præfiniti exculpitur. Tempus enim quatuor temporibus allegatur, quia præsentatum & rite examinatum ordinabat Episcopus, hoc vero spatium erat trium aut quatuor mensium, propterea quod eo distent inter sese quatuor tempora. In Decretalibus vero ALEXANDRI III. & INNOCENTII III. mira invenitur diversitas. Nam in Cap. Quoniam 3. de Jure Patr. ex Conc. Lateran. III. desunt tempus quatuor mensium definitur. Sed in ipso Concilio in prima compilatione & apud GUILIELMUM NEUBRIGENSEM Lib. 3. rerum Angl. pro: *quatuor menses* legitur: *tres menses*, in qua varietate lectionis, uti constat, Codices MStos in numeris esse depravatissimos, recepta videtur esse prior lectio & approbata ab INNOCENTIO III. Cap. Cum propter 27. eod. Tit. partim quia quatuor tempora quatuor quandoque mensibus distare solent, partim quia in pœnalibus mitior interpretatio in dubio Pontifici præhabenda videbatur. Est vero & alia Decretalis Cap. *Eam se 22. eod. Tit.* ab eodem ALEXANDRO post Conc. Lateran. condita, sex menses indulgens, quæ ad aliud Decretum ejusdem Concilii Lateranensis, quod extat in Cap. *Nulla 2. de Concess. Præb. vel Eccl. non vac. ne ultra sex menses collatio Ecclesiæ vacantis differatur, respicere*



Comitem THEODULPHUM admonet, ordinandum a se non esse illum Clericum, a quo ipse muneris quidpiam acceperit, asperius se de eo examen instituturum, maxime, ut sacramento confirmet, se nihil dedisse; alioquin alium institutum iri, & si qui contra nitantur, in eos anathema vibrandum. Ad præcedentem quoque §phum XXVII. pertinet, quod provisoriam interim Vicarii Constitutionem aut Delegationem sibi asserat, qui Ecclesiam regat, & Sacramenta administret, donec proprius Rector sit vel a se vel a Patrono nominatus (d). Nihil no-

vi

cere videtur. Glossa hanc Discrepantiam jam observans ad concilianda hæc Decreta hac utitur distinctione: *Sex* menses numerandos esse a tempore *Vacationis*, quatuor menses a tempore *motæ litis*. Aliis Interpretibus visum fuit Cap. *Eam re* accipiendum de Patronis Ecclesiasticis; Cap. *Quoniam* de Patronis laicis: quorum sententiam adeo probavit BONIFACIUS VIII. in Cap. *Unico* de Jure Patronatus in VI. ut & ipsis Patronis etiam non orta controversia dicat esse præstitutum hoc vel illud tempus, intra quod præsentare teneantur. Quod antea, ut inibi Glossa notat, non erat expressum.


(d) Idem FLODOARDUS loc. cit. *Si vis ibi habere Presbyteram, adduc mihi talem Clericum, qui apus sit sacro Ministerio, & ego illum inquiram, & illi Ecclesiam dabo, & tunc illum ordinabo, si mihi talis Clericus*

vi Juris Episcopo per negligentiam inferioris accedere ex supra dictis colligitur, cum Jure suo primitivo nativo & originali verus provisor & ordinator sit, & servitute ad tempus certum restricta tantum eliberetur.

§. XXX.

Innititur autem insuper hoc Jus jurisdictioni in universas Dioceseos Ecclesias & curæ eminenti pastorali, tum inspectioni & supremæ superintendentiæ in observantiam & executionem sacrorum Canonum, partim ne Ecclesiæ cum detrimento cultus divini diu maneant suis Ministris destitutæ, partim ne mercenarii & lupi in ovile aliunde quam per ostium intrent, si vel inidonei vel idonei etiam contra Canones modis illicitis & inhonestis promoveantur. Unde anomalum plane est, quod Cap. 2. de Concess. Præb. vel Eccl. statuitur, ut, si Collatio jure ordinario ad solum Episcopum spectet, ejus quoque negligentiam Capitulum

cus satisfactionem fecerit, quod nullum pretium inde donaverit. Et si tu ita facere non volueris, ego ordinabo, qualiter populus ibi officium habeat, usque dum ibi ordinem Presbyterum.



lum Cathedrale suppleat. Juri enim Devolutionis proprie dicto plane repugnat tanquam in pœnam negligentiae constituto, ut a superiore ad inferiorem transeat. Jus potius accrescendi vel non decrescendi ex antiquo Episcopum inter & Capitulum in conferendis Beneficiis consortio id censendum fuerat. Hodie vero istud Capitulum non amplius vigere testatur CHOPPINUS (a). Nec sede etiam vacante Beneficia aliorum Collatorum ad Episcopum devoluta conferre potest, sed Episcopo successori sunt adservanda, uti regula Generalis Cap. 2. *Ne sede vac.* sancita exigit, cujus inter alias plures congruentior nostroque scopo propior ratio ex antiqua Ecclesiae disciplina repetenda esse videtur, vi cujus constitutio Ministrorum Ecclesiae semper Episcopo ex supra deductis specialiter adjudicata est. Accedit etiam specialis fiducia in ejus personam reposita, cui cura totius Diœcesis incumbit. Neque sui etiam Turnarii negligentia Capitulo regulariter prodesse poterit. Eo enim per sex Menses cessante Capitu-

(a) Lib. I. de sacra Polit. Tit. 3. num. 13.

pituli quoque, quod is tantum repræsentat, & cujus delegatus censetur, jus expiravit. Divisio videlicet in vices & Turnos non tollit aut immutat jus devolutionis, quæ est ad proximum superiorem, & non ad eundem inferiorem, qualis est hoc casu Capitulum, quocum tanquam mandante, Turnarius, veluti mandatarius, unam eandemque moraliter personam constituit. Cautius propterea brevior his terminus præfigitur, quam Jus commune admittat (b). Sufficit pro currente semestri nomine Capituli provideri, sive per hunc seu alium Turnarium proxime instantem id fiat. Devolutionis econtra tanta vis est, ut nec celeri collatione post semestre inferior moram purgare valeat, sed hæc ipsa tanquam ab eo facta, qui non amplius ullam habet potestatem, nulla ipso Jure & irrita censetur, nisi forsitan Episcopus eandem patienter tolerare velit; tum enim provivus in beneficio tuto remanebit non in vim collationis ab *inferiore* obtentæ, sed vi novæ ab *Episcopo tacite concessæ*.

K

§. XXXI.

(b) Sapienissime ita a Reverendissimo & Illustrissimo Capitulo hujus Ecclesie



§. XXXI.

Præcipuam ulterius eminentis Juris Episcopalis prærogativam conjuncta eidem potestas legislativa circa rem Beneficiariam constituit. Constitutionum vero Diocesanarum vis atque efficacia inferiores quoscunque collatores constringit, & exercitium potestatis eorundem utpote dependentis & subordinatæ ad utilitatem publicam Ecclesiæ coarctat. Non enim tam interest Ecclesiæ, quis ejusdem Ministeria conferat, quam ut digniores utilioresque personæ secundum Canones & modo ab his præscripto eadem obtineant ac rite exequantur. Ab integritate & digna promotione eorundem totius Dioceseos & animarum Episcopo commissarum salus dependet. Facilius propterea aliis communicari potuit aliquod potestatis conferendi exercitium. Ipsa vero in Collatores eosdem superintendencia ita eminenti Curæ Pastoralis penes solum Episcopum existenti quoad integram suam Diocesin ejusque publi-

siæ Cathedralis trimestrem tantum terminum DD. Turnariis præfixum esse constat.

publicam salutem promovendam, quæ per leges propriis exercetur, tam intime est colligata, ut ab Episcopo in inferiores sub Diœcesi consistentes abdicari nunquam possit. Atque hanc usque ad avocationem vel devolutionem potestatis eorum ad Episcopum, imo ad totalem etiam atque perpetuam privationem, exigente eorum ingenti delicto & abusu contra publicam Ecclesiarum salutem, exerceri non est insolitum (a). Eadem est officii Episcopalis

K 2

pars

(a) Id colligimus ex Constit. Synod. GODEFRIDI IV. Episcopi Wirceburgensis supra cit. & allegato ibid. Concilio Frizlariensi *Tir. de concess. Præb.* statuitur: „ Quia nullus in Canonicum eligi debet beneficio non
 „ vacante, nisi iusta necessitas vel utilitas Ecclesiæ id requirat. Et tunc
 „ unus tantum & non plures assumi debent. Si quis autem contra hoc
 „ Statutum facere præsumperit, quod factum est, ipso Jure non te-
 „ neat, & Episcopus ad tot Præbendas potestatem habeat, quot perso-
 „ næ fuerunt sic assumptæ.

Item Tit. *Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.*
 „ Cum Beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferri debeant, qui-
 „ dam Ecclesiarum Patroni personis idoneis prætermisiss, tales ad ea
 „ præsentant, qui portione aliqua debent esse contenti, reliquum
 „ suis usibus: totaliter applicando. Unde ad hujusmodi mali per-
 „ niciem extirpandam statuimus, quodsi tales Clerici se de portione
 „ debita spoliari videntes ad suum Episcopum querelam non detulerint
 „ autoritate hujus Concilii sint ipso Jure suspensi, & nihilominus eis-
 „ dem Ecclesiis spoliuntur per Episcopum, & Presbytero idoneo provide-
 „ atur

pars intuitu eorum Canonum, qui circa qualitates in Ministris admittendis requisitas vel a Conciliis Universalibus vel a Summis Pontificibus conditi, atque tanquam temporali locoque convenientes ab Episcopis recepti & in observantiam hactenus deducti sunt; ut nimirum pro eorum posthac executione & imperturbata observantia excubent, & tanquam Custodes, Vindices & Executores invigilent (b).

§. XXXII.

Quamvis vero Episcopi omnes & singulos inferiores sibi subiectos ad exactam Canonum observantiam constringant, imo & ipsi iisdem tanquam membra Ecclesiae subjiçantur; non tam arctum tamen est Episcoporum vinculum, quin eosdem quandoque ex causis publicis utilitatem Diceceseos suae communem respicientibus relaxare

va-

„ atur de ipsis. (Si vero ad Superiorem super hoc detulerint quaestio-
 „ nem, ipse patronum per censuram Ecclesiasticam ab huiusmodi mo-
 „ lestatione compefcatur.) Adjicientes nihilominus, quodsi in hoc perti-
 „ nax patronus extiterit, ad praesentationem talis Ecclesiae de caetero
 „ nullatenus admittatur.

(b) Conf. Clement. *Cum Ecclesiae*, 1. de etate, qualitate & ordine Praeficiend.

valeant, ubi videlicet vel evidens major utilitas aut necessitas Ecclesiæ particularis, cui Minister præficitur, exposcit. Præcellens enim eorum potestas in eo potissimum se distinguit, quod non meri inferioris personam gerant, sed simul tanquam Rectores & Hierarchæ divinitus constituti & CHRISTI Vicarii in suis Dicecesibus considerari debeant, qui omnia possint, quæ iisdem rite gubernandis sunt necessaria. Eo Ministrorum promotionem plurimum conferre nemo dubitat. Qualitates in his requisitæ tam multæ sunt, ut universus earum complexus non semper sperari possit, sed sæpe una alterave desit, cujus vero defectus aliis multo eminentioribus non raro utilius compensatur. Modus quoque conferendi Ministeria salubriter regulis Canonicis circumscribitur, sed regulæ hæc tanquam humana autoritate constitutæ exceptionem quoque suam admittere debent, ne alias, quæ in utilitatem publicam conscriptæ sunt, aspere nimis & rigide exactæ eidem potius officiant. Limites propterea subordinationis & canonicæ obedientiæ universali Ecclesiæ vel supremo ejusdem Capiti debitæ nullatenus transgrediuntur, si causa canonica



sufficienter cognita subvertetur, eoquod hæc semper tacite excepta censeatur. Nihil proinde in Canonem peccatur, sed casus præsens particularis ab ipso Canone, ob causam canonicam subversantem, exceptus declaratur. Secus est, ubi Canon auctoritate Concilii universalis conditus, aut Constitutio Pontificia legitime emanata ac promulgata & consensu Ecclesiæ hætenus recepta usum hujus potestatis nativæ ex urgentioribus causis statum publicum Ecclesiæ universalis respicientibus disertis verbis prohibet. Tum enim subordinatio canonica indubitate offenditur, nisi & hic urgentissima aliqua causa, quæ tamen in Beneficiis tam facile vix cogitari potest, sub prohibitione ejusmodi non comprehensa primævam potestatem resuscitari & in actum reduci exegerit.

§. XXXIII.

Bene multa hujus rei præsto sunt exempla, quæ plena manu congesta totus titulus Decretalium: *Ut Beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur*, ubertim refert, aut Doctores in eundem commentantes passim discutunt.

cutiunt. Quot enim diminutionis prohibita species ibidem recensentur; tot modi sunt, quibus eminens hæc Episcoporum potestas se exerit. Ea videlicet prohibitio quemcunque sive Patronum sive Collatorem inferiorem constringit; uterque veluti privatus circa antiquam Beneficii indolem nihil immutare potest, nec pensionem vel quodcunque novum onus imponendo, nec dividendo aut dismembrando, nec uniendo aut supprimendo, nec in Commendam concedendo. Nudus est piæ intentionis fundatoris executor & fidelis juxta literam Canonum dispensator ab Episcopo ad id tacite delegatus; nullatenus causarum canonicarum, quæ exceptionem constituent, iudex & arbiter. Exceptio quævis cum in sola salute publica Ecclesiæ fundetur, solius Episcopi, cui cura omnium suæ Dioceseos Ecclesiarum & utilitatis earum publicæ conservandæ est concredita, dijudicationi subesse poterit. Cassanda propterea ab INNOCENTIO III. statuitur electio vel receptio duorum ad unam Præbendam facta ab inferioribus (a). Unde ipsomet in Episcopo Cap. *Vacante*

(a) Cap. 20. de Præb. & Dignit.



re 26. de Præb. & Dign. duplicem hanc qualitatem distinguit. An solo facto, atque ut merus collator processerit, unam Præbendam vacantem duobus simul Clericis conferendo; atque isto casu illicitam nullamque collationem esse redarguit, atque integrandam utrique de his, quæ posthac vacare contigerit, Præbendam esse statuit (b). Si vero ante collationem, rationabili causa suadente, & redditibus unius ad sustentationem duorum competentem abundantibus, ex una duas Præbendas decreto interposito tanquam Dicecesanus & ex officio eminenti suscitasset; sectionem tum omnino ratam firmamque habet (c).

Sectioni e diametro opponitur unio æque tamen a S. Canonibus cuicumque Collatori inferiori prohibita, illis etiam, qui pleno Jure sibi subiecta haberent Beneficia;
Dice-

(b) In Cap. 27 præcedente. Hoc ipsum adeo in Legato Apostolico, si tanquam merus Collator sine Canonica novi Tituli sive Juris spiritualis creatione vel Beneficii erectione processerit, reprobatur.

(c) Verba sunt: *Teneris utrique integrare Præbendam: nisi rationabili causa de vacante Præbenda supradicta due fuerint constituta, ac tot sint utriusque proventus, quot per utramque sit utrique provisum in Beneficio competentibus.*


Dicecesani e contra Episcopi autoritate, exigentibus causis
 Canonicis, omnino perficienda. Hanc etiam (ne reliquos
 diminutionis modos speciatim attingamus atque enumere-
 mus) Commendæ ex Beneficio proprie dicto erectio non
 excedit. Non eam intelligimus, quæ ad illudendum Ss.
 Canonibus vel ad palliandam Beneficiorum pluralitatem,
 vel ad inhabilitatem personarum hoc involucrio sanandam,
 adeoque ad blandiendum ambitioni & avaritiæ adinven-
 ta est (d), atque in favorem personarum potius tendit,
 quam ad salutem & utilitatem publicam Ecclesiæ, sed
 eam, qua Beneficium, quod alias ex natura sua deberet
 esse *perpetuum* & ad tempus vitæ Beneficiati irrevocabile,
 in *temporale* tantum & ad *nutum amovibile* commutatur.
 Litera enim Canonum (e) ex præcepto Apostoli, ut qui-

L

libet

(d) GARCIAS de Beneficiis P. III. Cap. 4. n. 24. & REBUFFUS Prax. de
 Commendis num. 4. . . 9. ita exprimunt: *Hujusmodi Commenda via ad
 hos per Summos Pontifices inventa fuit, ut, qui non est habilis ad Titu-
 lum, sit habilis ad Commendam, veluti quia provideatur alicui existenti in
 minori ætate vel de Beneficio incompatibili, vel provideatur Regulari de
 Beneficio seculari in Commendam, aut e contrario, nisi aliud in Bulla com-
 mendarionis fuerit expressum.*

(e) Can. Chalcedon. apud GRAT. J. Dist. LXX.



libet in ea vocatione, qua vocatus est, perpetuo perseveret, perpetuitatem illam desiderat, ex qua Ministri Ecclesiæ, nisi ob culpam servato prius Juris ordine cognitam, vel per propriam ipsorum voluntatem ac dimissionem, destitui suis Titulis non possint. Idcirco Collator inferior pluribus gratificari desiderans nequaquam poterit Beneficium revocabiliter vel indefinite quasi precario concedere, vel ad certum tempus commodare. Sicut autem Sedes Apostolica (f) huic Regulæ Canonice gratiose derogare se posse existimat; ita multo magis propter causas Canonicas & animarum salutem officium eminens Dicecesanum eidem prevalere potest, prout reapse videmus Parochias & Beneficia quæque Curata in plerisque Germaniæ Dicecesibus in commendam duntaxat temporalem eo fine conferri, ut facilius Pastores, non quidem pro lubitu quasi mercenariorum instar, ubi stet pro ratione voluntas, sed exigente animarum, quibus utiliter amplius præesse nequeunt, salute & ex causis gravibus, sine longo tamen litis sufflamine cognitis, amoveri queant.

§. XXXIV.

(f) Cap. Si gratiose. §. de Rescript. in VI.

§. XXXIV.

Aequalis autem prorsus & in omnibus habitudo Episcopalis potestatis in conferendis Beneficiis ad S. Pontificem nequaquam asseri poterit, qualem hactenus inferiorum Collatorum ad Episcopum esse docuimus. Luculenter illud ex deductis hucusque præmissis atque principiis necessaria conclusione consequitur. Non enim æque a Pontifice in Episcopos constituendi Ministros potestas derivata censei potest, sicut ab Episcopis, tanquam fonte, in reliquos inferiores dimanavit. Quam enim Pontifex ex deductis superius convincentibus argumentis non habuit (a), in alios certe derivare non potuit. Inde est, quod eo sensu, quem supra deduximus, Episcopus concurrentem cum inferioribus Dioeceseos suæ collatoribus atque Patronis habeat potestatem, non eam quidem, qua prævenire eos efficaciter possit, ideo enim certus eis a Jure terminus præfixus fuit; sed eam, qua ejus etiam collatio in actu primo valida censeatur, nisi collatore infe-

L 2

riori

(a) Conf. supra §. XXII.

riori vel Patrono intra suum terminum Jure suo utente eadem retractetur: Eundem sensum intuitu Summi Pontificis tanquam collatoris *extraordinarii* & reservationum eidem tam Jure communi, quam pactis publicis stabilitarum locum habere ex eadem ratione tuto concluditur. Nam Episcopus nihil minus Juris habet durante uno mense quoad reservationem clausam in Corpore Juris communis, vel tribus mensibus adhuc currentibus quoad reservationem mensium in provisione istorum Beneficiorum Summi Pontificis collationi *extraordinariæ* addictorum, quam durante quadrimestri aut semestri spectante ad Patronum Laicum vel Ecclesiasticum. Unde pari modo si Episcopus Beneficium vacans in Curia per obitum infra unum aut vacans in mense Papali infra tres menses, qui Concordatis præfiniti sunt, adhucdum currentes conferat; non est collatio intermedia Episcopi ipso Jure & funditus nulla, sed Papa intra tempus adhucdum conferente tantum annullatur, eo vero non providente rata firmaque remanet. Decretum vero annullans seu cassatorium favore Summi Pontificis reservationibus ejusmodi appositum

tan.

tantum intelligitur, si is favore suo uti velit, & debite utatur, quemadmodum Jus Patronatus præsertim Laicum simile Decretum etiam conciliare sibi annexum habet, (b) & tamen similem conditionem recipit, ipfismet etiam Decretalibus haud obscure suffragantibus. (c)

§. XXXV.

Ista autem Episcopalis Juris primævi & radicalis cum reservationibus Pontificiis concurrentia tanquam specialis Eminentis ejusdem potestatis prerogativa nequaquam asseritur. Idipsum enim aliis inferioribus Ordinariis, qui ex Episcopi vel expressa vel tacita concessione jus suum participant, commune esse sustinetur, ubi iis cum Curia Romana res vertitur, quia & ipsi Collatores veri manent habitu, utrunque Beneficium hac vocationis vice reservatum sit; imo etiam actu, si Papa dicta reservatione uti nolit, vel non utatur. Nam cum illa odiosa sit; facilis atque

L 3

favo-

(b) Can. *Decernimus* 32. XVI, Quæst. 7.

(c) Hanc in rem Regulæ locø pro simili Decretorum irritantium interpretatione adlegari poterit *Clem. 1. de Concess. Præbend. vel Eccl. non vac.*



favorabilis eapropter esse debet Juris communis reductio. Qui vero contrarium tenent, in Jure simul & in facto errant, putantes totam & omnem conferendi potestatem in solo Pontifice ceu unico fonte originari, a quo in ordinarios Collatores sive Episcopum, sive inferiores, nonnisi derivata & participata fuerit; quod autem quam longe a veritate historica & ab indubitatis & perpetuis ante sæculum XII. Ecclesiæ institutis aberrer, nemo est, qui ex præmissis luculentissime non perspiciat. Prærogativa econtrario ab ipsa etiam Sede Apostolica Episcopis Dicecesanis defertur, dum mitius in reservatione saltem mensium eosdem haberi voluit, quam inferiores alios. In Regula enim octava Cancellariæ Sanctitas sua ad *gratificandum Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis* in suis Dicecesibus residentibus intenta reservationem octo mensium, ut ante Concordata fuerat, quoad duos menses relaxaverat alternativam cum Sede Apostolica plane æqualem concedendo, qui favor tam proprius iis habebatur, ut nec Abbatibus quasi Episcopalem licet jurisdictionem habentibus, nec Reverendissimis etiam Ecclesiarum Cathedralium Capitulis, quamvis

vis forsan ex statuto, privilegio, vel consuetudine Sede vacante provisio Beneficiorum ad collationem Episcopi pertinentium iis competeret, communicari voluerit. Non insolitum praterea est Sedi Apostolicæ, Episcopos speciali Indulto conferendi Beneficia, in mensibus saltem Pontificiis vacantia, honorare, id quod inferiorum nemini, si solas Universitates studiorum exceperis, conferre consuevit. Ita nimirum reservationes suas minus saltem Juri Dicecesano actu conferendi Beneficia vacantia præjudicare & obesse voluit.

§. XXXVI.

Jus autem Dicecesanum eminens per alios, quam actualis provisionis modos, de Beneficiis pro salute animarum publica disponendi adeo iisdem saluum relinquitur, ut ipsis reservationibus Pontificis prævaleat, & actuales ejusdem provisiones antevertendo excludat. Hujus rei exemplum potestas uniendo Beneficia suæ Diceceseos præbet, quæ Episcopo a Ss. Concilio Tridentino (a) asseritur, quamvis illa essent generaliter vel specialiter reservata, aut qualitercunque affecta, adeo, ut dictæ uniones
etiam

(a) Sess. 21. Cap. 5.



etiam non possint revocari, nec quoquo modo infringi, vigore cujuscunque provisionis, etiam ex causa resignationis, aut derogationis, aut suspensionis. Imo amisso etiam per negligentiam aut per lapsum temporis a Jure definiti jure conferendi, eoque jam ad Sedem Apostolicam devoluto, potestatem tamen uniendi adhuc salvam esse post alios plures allegatos statuit BARBOSA, (b) eoquod alio Jure devolvatur, alio uniatur. Devolutio enim concernit Titulum, impeditque, ne Episcopus illud in titulum dare valeat: unio autem respicit proprietatem. Similis plane est ejusdem Ss. Concilii Tridentini (c) sanctio de reservationibus & divisionibus Beneficiorum, quod eisdem reservatio vel generalis vel specialis aut qualiscunque affectio obstare non debeat. Quandoquidem nimirum emittens hoc Jus Episcoporum Diocesanicum in sola salute
publi-

(b) Lib. 3. Jur. univ. Cap. 16. num. 31.

(c) Sess. eadem 21. Cap. 4. de Reform. in verbis: *Quacunq; reservatione generali vel speciali vel affectione super dictis Ecclesiis non obstantibus, Neque hujusmodi ordinationes & erectiones possint tolli, nec impediri ex quibuscunque provisionibus, etiam vigore resignationis, aut quibuscunque aliis derogationibus vel suspensionibus.*

publica animarum versatur atque nititur, ipsamet quoque Sancta Sedes Apostolica, quæ hanc tanquam supremam Ecclesiæ legem veneratur atque respicit, non dedignatur Jus suum extraordinarium & qualecunque exinde sibi accedens emolumentum eidem posthaberi.

§. XXXVII.

Eminentiam vero potestatis Episcopalis in conferendis Beneficiis ipsimet Sanctæ Sedi Apostolicæ haud inviam eo usque extollendi nequaquam nobis est animus, ut subordinatam ei esse debere subordinatione Canonica negemus. Subordinationem hanc exigit suprema & universalis illa omnium totius orbis Ecclesiarum Cura, sollicitudo, ac Superintendentia in ipsos præcipue singulos Ecclesiarum Præsules ac Pastores vi Primatus Divini & a Christo instituti incumbens, qua negligentes & devios ad rectam sui muneris executionem revocet, eorum defectus suppleat, insufficientes adjuvet, ac impotentes aut oppressos erigat ac tueatur. Nec enim Episcopi ita sibi relinquendi sunt, ut, cum placuerit, sequi possint quemvis

M

ani-



animi impetum, aut, cum voluerint alios ad exactam
 Canonum hac in re custodiam compellere, pertinaci eo-
 rum renitentia vel cedere, vel insolenti potentia succum-
 bere teneantur. Fit hoc praecipue legibus a Summo Pon-
 tifice conditis & ad antiquam Ecclesiae disciplinam proxi-
 me accedentibus, quibus & personarum desideranda qua-
 litates & easdem discutiendi media, & modus in provisione
 Beneficiorum aut **Ministorum** electione servandus deter-
 minantur. Imo & mediata provisione, si vel perti-
 nax Praelatorum **subordinatorum** potestatis abusus in de-
 trimentum salutis publicae Ecclesiarum suarum manifeste
 vergens, vel improbus Canonum & Constitutionum Ponti-
 ficiarum *Canon Erit autem. 2. Dist. IV.* undequaque con-
 formium contemptus, vel saltem supina negligentia ean-
 dem exigit, quod Jus devolutionis aut supplendi Cano-
 nes passim compellant. Atque hoc sensu dominium quod-
 dam eminent omnium Beneficiorum Summo Pontifici as-
 ferri omnino patimur, non tamen Dominium proprietatis
 aut quasi directum, vi cujus tanquam liber eorum mode-
 rator

rator & arbiter, aut immediatus dispensator de iis pro libitu suo possit disponere, sed dominium quoddam Jurisdictionis vel supremum Imperium, quo tanquam supremus omnium Ecclesiarum Rector ac Superintendens invigilat Ordinariis quibuscunque, praesertim eminentioribus, immediatus ejusdem Inspectioni subjectis & concreditis. Id quod paucis, sed energicis, verbis luculentissime quondam agnovit fama tam eruditionis quam sanctitatis clarissimus Ecclesiae & Universitatis Parisiensis Cancellarius JOANNES GERSONIUS: (a) „ Omnia Beneficia sunt Papae, „ tanquam Ordinatori supremo, non tanquam Domino „ aut Possessori, imo nec tanquam immediato Dispensatori, „ ri, regulariter & universaliter, nisi Praelatorum inferiorum „ iniquitas, aut manifesta Ecclesiae utilitas casibus „ certis id exigeret.

§. XXXVIII.

Utrumque hoc Jus, tam legislationis, quam devolutionis, etiam respectu Ordinariorum Germaniae tam inferiorum,

M 2

rum,

(a) Tom. I, p. 24.



rum, quam superiorum & eminentium saluum integrumque superest, nec per Concordata cum Curia Romana in ita adimi voluit. Hæc enim circa immediatam tantum collationem Beneficiorum Germaniæ conclusa sunt, ut eorum aliqua quidem speciatim expressa immediatæ provisioni Pontificis addicerentur; a reliquis vero immediate conferendis abstinentiam posthac perpetuam tam firmiter sancteque Pontifex promisit, ut nulla quavis libertatem eorundem utique canonicam & legibus conformem & saluti publicæ Ecclesiarum ac Ministeriorum Ecclesiasticorum indoli accommodatam impedire velit. Jus vero illud generalis superintendentiæ & supremæ inspectionis ex antea dictis Divino Primatui congenitum atque essentialle nec in controversiam vocatum fuit, nec ejusdem exercitium, dummodo immediatam collationem sibi non attribueret, abrogari a Natione voluit, multo minus a Sancta Sede Apostolica illud aliquando voluit, vel potuit abdicari. Attemperari autem ejus usum & exercitium ad certas leges atque limites, ac præsertim ad ipsum systema Hierarchicum perpetuo in Ecclesia observatum supremæ Auctoritati

thoritati nequaquam præjudicat. Auctoritas enim & Imperium, præsertim Ecclesiasticum, tanquam Paternum ac Pastorale in lege charitatis fundatum, adeo non debilitatur sapienti quadam moderatione & Canonum Juriumque inferioribus secundum Canones competentium observantia, ut augeſcat potius, & magis magisque perfecta Capitis supremi & membrorum præsertim præcipuorum ac Illustriorum inter se consensione mutua convalescat & firmitus consolidetur.

§. XXXIX.

Et quidem quod ad usum potestatis legislativæ attinet, qua Sedes Apostolica supremam suam superintendentiam ac Imperium circa conferenda Ecclesiæ Ministeria in universo orbe Catholico, adeoque & in Ecclesiis Germaniæ exercet; in Constitutionibus Pontificiis desuper editis duo discernenda veniunt. Saluberrima videlicet *intentio*, qua plerique earum Conditores ad eas ferendas se permoveri prolixa sæpe rationum maxime canonicarum deductione afferunt. *Media* dein, quibus hanc suam in-



tionem aut dignorum Ecclesiæ Ministrorum promotio-
 nem, & quæ exinde pendet, salutem Ecclesiæ assequi
 cupiunt. Prior elegantissimis sane verbis in quolibet Con-
 stitutionum Pontificiarum super materia Beneficiaria edi-
 tarum, quam maxime earum, quæ novas reservationes
 induxerunt, ingressu maxima cum animi voluptate a quo-
 cunque zeloso Ecclesiasticæ Disciplinæ æmulate facilius
 legi poterit, quam hic verbis condignis pro merito depræ-
 dicari satis queat. Aliæ maturiorem Ecclesiarum provi-
 sionem, ne suis diu destitutæ maneant Rectoribus, aliæ
 commiserationem justam Clericorum pauperum probita-
 te vitæ & eruditione commendatorum, quos tamen ab
 Ordinariis fere penitus neglectos contemptosque jacere af-
 ferunt, aliæ pluralitatis Beneficiorum, ambitionis, & ava-
 ritæ, cupiditatis abominationem, aliæ affectus carnis &
 sanguinis, aut omnis speciei hæreditariæ successione ab
 Ecclesiæ sanctuario eliminationem, aliæ conservandam in
 Ministris Ecclesiæ Catholicæ Doctrinæ puritatem, aliæ
 Simoniacæ tanquam pestis abominandæ expulsionem sibi sco-
 pum

pum præfixum habent. Quæ sane intentio sacris Canonibus quam maxime probata nemini non videbitur. Usque adeo nimirum verum est ac iudicatum, omnem Ecclesiasticam Jurisdictionem & potestatem sacram, etiam Pontificiam, unum habere scopum sibi propositum, ædificationem Ecclesiæ. Sed & illud exinde conficitur, quod utilitas publica semper proponatur ab iis omnibus, qui vel novæ aliquid potestatis Dignitatibus suis Ecclesiasticis adjiciunt, vel novum ejusdem pristinae potestatis usum introducunt.

§. XL.

Verbis quoque mentem Summorum Pontificum ad amussim correspondisse, sine gravi injuria nemo dubitare poterit; imo indubitanter demonstratur argumentis de iis præsertim Pontificibus, qui plurimarum reservationum conditores extiterunt. Constans hoc & perpetuum BONIFACII VIII. Pontificis studium reservationes suas, de quibus Rex Gallia PHILIPPUS PULCHER conquestus fuerat, in Ecclesiæ Regnique utilitatem, in solorum digniorum tum pauperum eruditione & gradibus Ministerii commendato-

rum,



rum, tum Illustrium Regno Regique probatorum Nationalium promotionem convertendi Cardinales Romani & ipse BONIFACIUS Baronibus Regni respondentes (a) tanta cum fiducia audent oggerere, ut ipsosmet provocent ad conferendas inter se provisiones Præbendarum factas a Rege & Ordinariis, & provisiones factas a Pontifice, & ad sedulo cordateque expendendum, quæ magis in utilitatem Ecclesiarum & Regni cesserint. Nec recesserunt a BONIFACII vestigiis CLEMENS V. & JOANNES XXII. Quos itidem studiosissimos fuisse dignioribus ac præsertim Clericis egentioribus, nec tamen virtute & sapientia destitutis, consulendi constat, si NANGIO fides, ex quo refert THOMASSINUS (b). A BENEDICTO XII. Extravagantis *Ad Regimen*, reservationum fecundissimæ auctore RAYNALDUS & SPONDANUS (c) omnem immanis dominandi cupiditatis pravam suspicionem amoliri

CO-

(a) CAESAR BULÆUS in Hist. Universit. Paris. Tom. 4. pag. 22. & seq.

(b) V. & N. Discip. P. II. Lib. I. Cap. 43. num. ult.

(c) THOMASSINUS-P. II. Lib. I. Cap. 44. num. 2.

conantur, dum non alia eum causa permotum fuisse testantur, quam ut dignioribus ab ipso Beneficia conferrentur. De eodem pariter Pontifice Scriptor coævus narrat: *Iustus erat & durus, Beneficia reservavit, & vix conferre voluit, timens, ne conferrentur indignis.* Ad CLEMENTEM VI. centum omnino millia pauperum Clericorum confluisse ad necessaria ex Beneficiis subsidia comparanda refert ex eodem Chronologo (d) THOMASSINUS. S. PII V., vel ipsum nomen dubitare verat, quin ad pietatem propagandam omnes Ejusdem hac super re Constitutiones pertinerent. Nec contemnendum est illud perpetui hujus desiderii utiliter Ecclesiis providendi argumentum, quod ex Stylo Curiae Romanae deducitur. Siquidem regulariter in forma *Dignum*, vel *commissoria* suas provisiones, vel potius mandata de providendo expedire solet, qua ipsismet Ordinariis qualitatum personae examen committit, ac nonnisi dignis repertis suas gratias

N

pro-

(d) THOMASSINUS cit. loc. num. 4. ex eodem CAESARE BULAE O
Hist. Univ. Paris. Tom. 4. pag. 276.



prodesse vult. Nullatenus vero dedignatur justis Ordinari-
 orum remonstrationibus benignum præbere auditum, ubi
 sine scandalo illa executioni dari non posse existimant (e).
 Absque hac autem forma non aliis conferre solet, nisi præ-
 vio Ordinariorum testimonio super qualitatibus secundum
 Beneficii indolem requisitis, quod idoneitatis vocant, mu-
 nitis. Hæc ipsa proinde Justitiæ distributiivæ exacta con-
 sectatio ex culmine sacræ Sedis Apostolicæ ex verbis fa-
 ctisque perpetuis resplendens non tantum quibuscunque
 inferioribus Collatoribus, sed Ordinariis etiam eminenti-
 bus Episcopis, qui propius ipsi adhærent, & propius ab
 ea illuminandi sunt, perfectissima suæ Dispensationis &
 Collationis Beneficiorum norma ac regula esse debet. Quo-
 ad paupertatem Clericorum tamen ab his quandoque Pon-
 tificibus tantopere commendatam ac pro scopo habitam
 omnino existimandum est, eam neque solam, neque veluti
 primariam illam qualitatem haberi voluisse, cui præroga-
 tiva quoad Beneficiorum Collationem deferretur, siquidem
 potius

(e) Cap. Si quando. 3. de Rescriptis, & Cap. Cum teneantur. 6. de Præbend.

potius in Eleemosynarum & domuum religiosarum assignatione, quam in admissione ad Ministeria Ecclesiastica præcipue attendenda venit; sed cæterarum duntaxat, quæ ad dignam munerum Ecclesiasticorum adimpletionem habilitant, probitatis & scientiæ adminiculativa, adeo, ut & potentia ac illustris profapia cum probitate & comperenti scientia conjuncta, quæ insigne Ecclesiis adjumentum afferre potest, paupertati aut præferri aut æquari debeat. Testimoniorum insuper requisitio sanat equidem aliquatenus, supposita reservatione, provisionem immediatam, quin tamen evincat, eandem præ ordinaria collatione præoptandam esse.

§. XLI.

Præterea in iisdem Constitutionibus Pontificiis occurrunt, atque sedulo consideranda veniunt media, quæ ad urgendam saluberrimarum ejusmodi intentionum executionem decernuntur. Hæc inter sæpe primum est, quod & reliquis viam sternit, privatio Beneficiorum propter quædam delicta a possessoribus eorum commissa. De

N. 2

hujus



hujus sane justitia nemo est, qui dubitet. Indigni enim sunt, ut in Ecclesiæ eminentiore loco & Ministerio conspiciantur, qui gravi scandalo sunt fidelibus, & in quos sine horrore conspiceri nequeunt, aut a quibus non amplius sumere possunt, quod imitentur, sed detestentur. Nec redivitibus Ecclesiæ posthac sustentari debent, qui eisdem prodesse desinunt. Alienis vitiis autem fovendis nutriendisque non decet impendi, quæ fidelium & fundatorum pietas in priorum peccatorum redemptionem & expiationem tam liberaliter in Ecclesias profudit. Congruit omnino hæc pœna cum disciplina primitivæ Ecclesiæ, quæ delinquentes graviter Clericos e matricula Ecclesiæ, cui adscripti erant, delere solita fuit, quandoque ad communionem tantum peregrinam (a), quandoque ad
lai-

(a) Hæc dicebatur, qua Clericis peregrinis sine litteris commendatitiis adventantibus sacrarum functionum consortium denegabatur, quamvis sumptibus Ecclesiæ alerentur, ut eleganter SYNESIUS Epist. 65. declarat his verbis: *Nosti igitur, venerande Pater, quomodo me gessi, in Ecclesiam eum (ALEXANDRUM, Episcopum Basynopolitanum in Bithynia) non admisi, neque sacræ mensæ participem feci, domi tamen eisdem bonam largitus sum, qui insonsibus impendi solet.*

laicam prorsus detrusos (b), quos per pœnitentiam correctos emendatosque in matricula in gradum suum rescripsit, & in pristinam dignitatem restituit (c). Similis est post erectionem Beneficiorum privatio eorundem, qua Jure participandi redditus Ecclesiasticos excidunt, titulumque antea habitum amittunt. Effrœnem peccandi licentiam Beneficiatis Germaniæ per Concordata adsecuratam contra mentem Summorum Compaciscentium asserere videretur, qui eosdem his pœnis, in quantum Constitutiones formæ & systemati Ecclesiarum vel Præbendarum Germaniæ congruant, immunes esse contenderet.

§. XLII.

Alterum est adjecta in permultis ejusmodi Constitutionibus privatio quoque potestatis in ipsomet Conferente. Quoad hanc vero omnino interest, quale sit de-

N 3

lictum

(b) Plena hæc erat, tam ministerii in Ecclesia, quam liberalitatis & communium emolumentorum clericalium privatio, qua ad statum & conditionem laicorum ita redigebantur, ut sola Ecclesiæ communionem fruerentur.

(c) C. 21. Dist. 50.



licitum illud, quod lex ejusmodi perfequitur, an solita-
 rium ipsius Beneficiati, an commune ipsi etiam Collatori.
 Priorum e numero est crimen hæreseos, ommissa a resignan-
 te & resignatario intra tempus per Constitutionem Grego-
 rianam præfinitum resignationis factæ & collationis subsecu-
 tæ publicatio &c. &c. Justissimis sane causis ad excitandam
 supremæ superintendentiæ Pontificiæ curam apprime per-
 tinentibus nititur pœnæ in improbum Beneficiatum infi-
 ctio. Sed delictum hoc suum tantum deberet tenere au-
 ctorem. An vero & innocentem collatorem ejusdem de-
 licti sæpe nequidem conscium, minime vero correum aut
 participem eadem involvi æquum videtur? Alterum sa-
 ne alterius odio prægravari Jura non permittunt. Si quod
 vitium collatoris esset, in eo poneretur, quod talem
 quondam elegerit Ministrum, & futurorum præsciis non
 fuerit. Supra jam HIERONYMUM audivimus, sancti
 etiam hominis tanquam in deligendo homine fallibilis er-
 rorem excusantem. In altera vero delictorum specie, quæ
 Collatorem ipsum consortem habent, cujus exempla esse
 pos-

possent Simoniaca confidentia, aut omissio formæ con-
 cursus in conferendis Curatis Beneficiis &c. &c. fortius sane
 concludere videtur ratio supremæ Superintendentiæ. Ni-
 hil enim tam frequens tamque solenne est tum in Decre-
 tis antiquiorum Pontificum, tum Canonibus Conciliorum,
 quam insignem potestatis publicæ in Ecclesia abusum tan-
 quam justam ejus adimendæ causam semper visum & agni-
 tum fuisse. Sunt tamen & aliqua, quæ inferioribus Bene-
 ficiarum Collatoribus jure merito prohibentur, & quæ,
 si facta fuerint, abusum potestatis eorum pœna privationis
 omnino dignum inferre censentur. Sed non eadem etiam
 decempeda Ordinarius eminens Episcopus simul metien-
 dus erit. Certe multa sunt, quæ majorem huic deberi
 considerationem & prærogativam, majorem in eo repo-
 ni fiduciam exigant, ut non facile iisdem legibus, tanquam
 pœnalibus & odiosis, simul comprehensi censeantur. Exi-
 git hoc eorum eminens dignitas & Jus nativum conferen-
 di Ministeria Ecclesiastica cum ipsa etiam solida suas Dice-
 ceses regendi potestate conjunctum, qui in suis collationi-
 bus non favorem privatum personarum, sed publicam Ec-
 cle-




clesiarum utilitatem præ oculis habere præsumuntur, ac præsertim in Germania nonnisi maturo cum consilio a viris pluribus prudentia & Disciplinæ Ecclesiasticæ peritia conspicuis requisito suas provisiones decernere & expedire solent. Neque obstat, si qua dispensationis species simul requiratur. Nam & ipsis tanquam Hierarchis suæ Diœceseos & salutis publicæ Ecclesiasticæ tutoribus & custodibus aliqua in Canonibus dispensandi authoritas Jure communi residua dignoscitur, prævia tamen cognitione causæ & meritorum personæ ipsismet proxime cognitorum interponenda. Et ob hujus necessitatem, quam Jus commune alias jam Sedi Apostolicæ antiquitus necdum ante Concordata reservaverat, conferendi etiam potestate eosdem privare duplicem revera jacturam involveret.

§. XLIII.

Ex his facile erit dijudicare, quid de tertio remedio sentiendum sit plerumque Constitutionibus circa rem Beneficiariam adjecto, quod est perpetua atque totalis potestatis conferendi ab omnibus & singulis aliis Collatoribus

bus, tam inferioribus quam eminentibus, pro quocunque casu constitutioni eidem supposito avocato, & ad solam Sedem sive Curiam Romanam translatio, quæ vulgo reservatio vocatur. Non est hic nobis animus, antiquas illas de his, ad excessum usque multiplicatis, querelas virorum etiam piissimorum & Sedi Romanæ ceteroquin additissimorum repetere. Quam duræ & acerbæ hæ reservationes in ipsis suis primordiis visæ fuerant, aliqua tamen iis prætendi poterat excusatio in funesta temporum illorum calamitate requirenda. Dira quædam necessitas ab invictis Pontificibus hoc remedium nullis anterioribus Canonibus nixum extorquere videbatur, extrema videlicet Curiæ egestas, quam THOMASSINUS (a) commemorat: *Inexorabilis quædam illis (Romanis Pontificibus) videbatur incubuisse necessitas, hæc adhibendi importuna alioquin remedia levandæ egestatis suæ post transvectam (authore CLEMENTE V.) Avenionem Romanam Curiam, quod eam arripuissent nefarii Prædatores ansam invadendi Dominii vel patrimonii Ecclesiæ Romanæ in Italia. Dolori fuit Galliæ*

(a) THOMASSINUS P. II, L. I. Cep. 41. §. 4. num. 7.



Galliae & ingenti dispendio illa, quam sibi gloriae & compendio fore augurabatur, transmigratio. Quamquam nec illud dissimulari debeat, cum plerique Cardinales per annos hos transmigrationis LXX. Gallicae fuerint gentis, ingentes illas opes, quae in Cardinalium confluebant manus, e Gallia ipsa non effluxisse. INNOCENTIUS VI., URBANUS V., GREGORIUS XI.; qui Avenione, redux Romae anno MCCCLXXVIII. obiit, moderatores fuerunt. Post obitum GREGORII XI. infandum ortum est ferme annorum XL. schisma Romanos inter & Avenionenses Pontifices, instigante JOANNA Neapolitana, quae URBANUM VI., GREGORII XI. successorem, verita, Gallicanarum partium Cardinalibus animos fecit, ut vim prioribus in Comitibus sibi illatam ulciscerent, CLEMENTEM VII. novum Pontificem crearent, qui rursus Avenionem secessit. Nova tum apparere necessitas, ut & Romanus & extraneus Papa reservationibus, gratiis & quibuscumque favoribus animos Principum, fautorum & familiarium suorum captare studerent, & Curiam sustentarent. Testes sunt NI-

COLAUS

COLAUS CLEMANGIUS, THEODERICUS NIEM & alii coevi Scriptores (b). Ita continuarunt & tres post Concilium Pisanum de Anno MCCCCIX. Sedem Romanam simul occupantes. Schismate composito, legitimus Cathedræ PETRI successor a Natione aut Ecclesia Germanica agnitus omnibus quidem illis favoribus, quos in favores ejusdem, aut dubii saltem Pontifices, proprio ausu aut necessitate Curæ suæ adacti, & pro temporis sui more sibi sumpserunt, privari non voluit, ut tamen iis, quos Natio speciatim concordando adpromisit, acquiesceret, nec eam in pristinum statum, qui turbulentis Ecclesiæ temporibus viguerat, deturbaret, salva posthac relinquendi Ordinariis cætera sua Jura postulavit, & NICOLAUS V. fide sua sollemnissime interposita suo & Sedis Apostolicæ, adeoque quorumcunque Successorum suorum nomine adconsensit; nisi in futuro Concilio de consensu inclytæ Nationis aliter fuerit ordinatum. Quamvis igitur leges extra Concilium circa Beneficiorum collationes, exigen-

O 2

te

(b) Idem loc. cit. §. 6.



te salute publica Ecclesiæ, ferre Pontifici non sit interd-
ctum, neque huic potestati ab ipso rennatiatum; per has
tamen omnes omnino Nationales uno halitu secludere
Collatores, sibi que immediatam provisionem attribuere,
fidei datæ adversaretur, & quoad hunc effectum in ipsis
Concordatis usus potestatis legislativæ ad futurum Conci-
lium & voluit, & sine præjudicio Primatus divinitus
constituti, aut aliquo salutis publicæ Ecclesiarum detrimen-
to, imo ad conservandam efficacius ejus pacem ac tran-
quillitatem potuit alligari.

§. XLIV.

Quam prompta quamque proclivis fuit Natio Germani-
ca ad uberem Sedi Apostolicæ gratificandi aliis oc-
casionem relinquendam, tanta etiam ex parte Pontificis in
exercitio Jurium suorum, quæ aliunde eidem compe-
runt, æquanimitas, justitiæ ac fidei observantia & mode-
ratio expectatur, ut modum & ipse ac certos fines pacto
publico stabilitos conservet, nec integræ Nationi sua Jura
æqualiter ad utilem Ecclesiarum provisionem optime com-
posi-

posita finique saluberrimo in Constitutionibus suis præfixo accommodata propter abusum unius alteriusve inferioris præoccupet, nec Nationales quoscunque Ordinarios superiores hac avocatione comprehensos intendat. Si Communio cum S. Sede Apostolica arctius continenda quaeritur, ea certe præferenda erit, quæ primarios Ecclesiæ Præsules, tanquam præcipua Corporis Mystici membra, suo Capiti supremo firmissime ac constantissime agglutinat, ipsa videlicet Canonum observantia & Jurium singulis secundum Canones attributorum tutela & Conservatio (a). Certe minoris pretii amor est & reverentia, quam sola concupiscentia extorquet. Infirmum est illud conjunctionis vinculum, quod temporale tantum emolumentum conciliat. Experientia inde quotidiana docet, post rem ex votis confectam & ab Impetrantibus aut Intercedentibus obtentam cito abire Benefacti memoriam. Di-

O 3

gna

(a) S. LEO M. Epist. 62. *Universæ pacis tranquillitas non aliter poterit custodiri, nisi sua canonibus reverentia intemerata observetur.*

S. GREGORIUS M. Lib. XIII. C. 44. *Tunc status membrorum integer manet, si Caput fidei nulla pulsata injuria, & canonum manet incolomis atque intemerata semper auctoritas.*



gna propterea non est, ut extra Casus Consensu Nationis
 stabilitos cum iusta propriorum Prælatorum offensa ac
 dispendio inutiliter capretur. Accedit primarium Colla-
 tionis Beneficiorum finem esse utilem Ecclesiarum Admi-
 nistrationem, non personarum, quibus conferuntur, com-
 pendium, aut eorum, qui conferunt, politicum respe-
 ctum. Sedem Romanam, aliarum Ecclesiarum Matrem
 & Magistram, haud decet, per multiplicatas ejusmodi le-
 ges pœnales, cum proprio Curix suæ emolumento con-
 junctas, suo exemplo alios in sinistra sillas ideas deducere,
 quasi Collatio Beneficiorum tanquam emolumentum Col-
 latorum & personis sibi bene affectis gratificandi occasio
 affectanda sit, quæ a veritate & spiritu Ecclesiæ quam ma-
 xime absunt, cum Patres eandem ut onus potius non pa-
 rum conscientiam gravans consideraverint, & hodie dum
 considerent ii, qui sciunt & attendunt, quam severa ratio
 reddenda sit illis, qui de indigno aut minus utili Ministro
 ex aliquo humano & carnali affectu, vel ex neglecta suffi-
 cienti meritorum, personarum & status Ecclesiarum noti-
 tia

tia Ecclesiæ providerint. In fensi Sedis Apostolicæ hostes,
 quales CAROLUS MOLINÆUS, PAULUS SARPIUS
 & ex Protestantibus permulti fuere, ansam inde arripiunt
 calumniandi, reapse Pontifices salubrium ejusmodi Con-
 stitutionum Authores non tam de salute Ecclesiarum &
 Ss. Canonum veterum observantia sollicitos fuisse, quam de
 sua suæque Curia & Officialium commodis; exclusis pe-
 nitus Ordinariis, horum Jura absorberi, Monarchismum
 quendam Universalem & absolutum ac dominatum imma-
 nem in omnes Ecclesias affectari. Non auctoritatem,
 non ambitionem ejus, qui confert, spectandam esse, sed
 fidelitatem Ministerii, decorem & adjumentum Ecclesiæ,
 cujus non Dominus, nec mercenarius, sed Minister sit,
 quicumque in Ecclesia præficitur.

§. XLV.

Abludit demum totalis illa avocatio ab Hierarchici regi-
 minis indole, suavitate & charitate, quæ Summos
 Pontifices cæterorum Episcoporum ceu fratrum obser-
 vantissimos semper fecit & zelosos potestatis & Jurium
 ipso-

ipforum Tutores ac Vindices. Hæc enim perpetua ejus regula fuit, ut inferiores ac intermedii superioribus reverentiam & obsequium secundum Canones deberent, superiores autem inferioribus defensionem, conservationem ac tuitionem jurium suorum exhiberent. Infiniti essemus, si omnium hac super re Pontificum præclarissima testimonia allegare animus esset. Paucis inter hos GREGORII M. (a), GREGORII VII. (b), & INNOCENTII III. (c) acquiesci-

(a) S. GREGORIUS M. Lib. III. Epist. 29. ad Presbyteros & Diaconos Ecclesiæ Mediolanensis in fine: *Sicut ab aliis nostra exigimus, ita singulis sua Jura servamus.*

IDEM Lib. VII. Epist. 30. ad EULOGIUM Patriarcham Alexandrinum: *Vobis subtrahitur, quod alteri plus, quam ratio exigit, præbatur. Ego enim . . . honorem esse non deputo, in quo fratres meos bonorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est honor universalis Ecclesiæ: meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego vero honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur. Apud GRATIAN. Can. 5. Dist. XCIX.*

IDEM Lib. IX. Epist. 32. ad Romanum Defensorem Siciliæ. *Nam si sua unicuique Episcopo Jurisdiclio non seruetur, quid aliud agitur, nisi ut per Nos, per quos Ecclesiasticus custodiri debuit, ordo confundatur.*

(b) GREGORIUS VII. Lib. I. Epist. 24. ad BRUNONEM Episcopum Veronensem: *Sicut Romana Ecclesiæ debitum honorem impendi a cæteris Ecclesiis; ita unicuique Ecclesiæ proprium Jus servare desideramus.*

(c) INNOC. III. Lib. I. Epist. ad Rectores Tusciæ: *Sicut Jura nostra volumus servari, sic aliorum Jura volumus illibata servare.*

quiescimus. Cætera quæque illud unum S. GREGORII M. antecellit, quo quidem fatetur se secundum rationem humilitatis Coepiscopis fratribus suis æqualem, *si qua vero culpa invenitur*, inquit, *nescio, quis ei (Sedi Apostolica) Episcopus subjectus non sit (d)*. Quo ipso satis indigitat, eam potestatis Episcoporum ad se avocationem unice probari, ubi ad supplendam eorum negligentiam, aut coercendum ac puniendum culposum eorum abusum suprema ejus Ecclesiarum omnium sollicitudo excitatur, quod ipsum idem est, quod alias devolutionem Juris aut Jus supplendi negligentiam Prælatorum vocamus.

§. XLVI.

Hanc Juris devolutionem Sanctæ Sedi Apostolicæ etiam post Concordata intuitu Ordinariorum Germaniæ residuam, imo inabdicabilem esse supra jam asseruimus. Ejus tamen usum rursus certis Canonum Conciliarium & Pontificiarum Decretalium regulis contineri, nequit dubitari. Ordo autem Juris devoluti hierarchico systemati

P

com-

(d) Lib. IX. Epist. 49.



commensuratus & Canonibus memoratis is constituitur, ut ab inferioribus ad superiores intermedios, & ab intermediis ad supremum demum Caput transiret. S. BONIFACIUS Germaniæ Apostolus, qui juxta formulam juramenti a Metropolitanis Sedi Apostolicæ tum præstiti: *Per omnia præcepta Petri canonice sequi promitto*, ZACHARIAE Pontifici Coepiscopos suos *pro Autoritate S. Petri servos devotos & subditos obedientes, subditos sub Jure Canonico esse voluit* (a), *in adjuvando impotentes ac debiles Pastores hunc ordinem præstituit: Unusquisque Episcopus, si quid in sua Diœcesi emendare nequiverit, itidem in Synodo coram Archiepiscopo & palam omnibus corrigendum insinuet, &c. &c. Omnes Episcopi debent Metropolitanis, & ipse Romano Pontifici, si quid de corrigendis populis apud eos impossibile est, notum facere, & sic alieni fient a sanguine animarum perditarum* (b). Eundem ordinem *in supplendo negligentiam* omittendo tantum ab inferioribus commissam

(a) Epist. 132. ad ZACHARIAE Pont.

(b) Epist. 105. in Angliam data.

fam Concilium Lateranense III, & quas Pontifices CLEMENS III. & INNOCENTIUS III. edidit, Decretales diligentissime conservari jubent (c). Idem rursus in puniendo commissos inferiorum abusus suæ potestatis per collationem indignam factam Concilio Lateranensi III. probatur (d). Differt ab eo Concilium Lateranense IV. (e), quod perquisitionem diligentem ac sedulam in Collationem Beneficiorum annuatim in qualibet Synodo Provinciali fieri, & eos, qui post primam & secundam correctionem reperti fuerint culpabiles, a Collatione Beneficiorum per

P 2

Con-

(c) Cap. *Nulla Ecclesiastica Ministeria* 2. de Prab. vel Eccl. non vac.

CLEMENS III. Cap. *Sicut nobis* 2. de suppl. neglig. Prælat. inferiorum Jus Episcopo defert.

INNOCENTIUS III. in Cap. *Licet Magister* 13. eod. post Archiepiscopi Eboracensis negligentiam, qui alium non habeat superiorem, sibi modo collationem Archidiaconatus Richemundie Jure devoluto attribuit.

(d) Concilii Lateran. III. sub ALEXANDRO III. constitutio refertur Cap. *Cum in cunctis* 7. §. fin. *Dignum est enim, ut, quos Dei timor a malo non revocat, Ecclesiasticæ saltem coerceat severitas discipline. Episcopus autem si contra hæc fecerit, aut consenserit fieri, in conferendis prædictis officiis & Beneficii potestatem amittat, & per Capitulum, aut per Metropolitanum, si Capitulum concordare nequiverit, ordinetur.*

(e) Cap. *Grave nimis est & absurdum* 29. de Prab. & Dign.



Concilium Provinciale suspendi jubet; jus tamen conferendi non defert Superiori cuicumque, sed virum providum & honestum constitui præcipit, qui Collatoris in pœnam suspensi vices peragat. Cum tamen autoritate Concilii id faciat, in idem recidere videtur, sicut & Metropolitanus delictum Superioris judicio relinquere, ex parte Concilii vero nunciari jubetur. Suspensionem autem prædictam relaxandi autoritas Summo Pontifici aut proprio Patriarchæ asseritur, *ut in hoc quoque IV. patriarchales Sedes specialiter honorentur.* En præclarissimam Graduum Ordinis Hierarchici seriem. Hac videlicet ratione & Patres Conciliorum & Pontifices saluti Ecclesiarum & Dignorum Ministrorum promotioni prospexit esse, atque abusus delinquentium coerceri efficaciter existimarunt, ut tamen innocentibus quibuscunque eorum Superioribus sua quoque autoritas servetur. Neque obstat, Concilia Provincialia rarius tunc haberi. Siquidem etiam extra Concilium ex natura Hierarchiæ invigilare possunt Episcopi suis Capitulis, Metropolitanus Suffraganeis, & Summus demum Pontifex cæterique Patriarchæ Metropolitanis

tanis. Ita enim simpliciter in Concilio Lateranensi III. ante hac fuerat constitutum, ut qualibet tantum vice immediatus Superior defectum inferioris suppleret, & aliter conferendo emendaret. Hoc ipsum autem per superaditam pœnam suspensionis, quæ post unam alteramque delinquentis monitionem decernitur, & personæ tertiæ designationem sublatum esse perperam concludere quispiam conaretur (f).

§. XLVII.

Intuitu vero Inclytæ Nationis nostræ Germanicæ accedit quoque religio Pæci solennis & publici. Nam quamvis S. Sedi Apostolicæ sacros Canones exequendi, negligentiam Ordinariorum supplendi, eosdem potestate sua aburentes puniendi, eaque privandi facultas & canonica ultio non denegata censeatur; per viam tamen subordinationis canonicæ id efficiendum esse eadem Natio in acceptatione Decretorum Basileensium præservavit, & Pontifex

P 3

fex

(f) Conf. JANUS A COSTA ad Cap. cit. vers. *Plectitur igitur Episcopus &c. seqq.*



fex eadem ratificando *cum suis limitationibus & modifica-*
tionibus per Nationem petitis adconsensit. Ita enim ac-
 ceptando Natio Decretum Basileense Sess. 31. *de Collationi-*
bus Beneficiorum, in quo cuilibet Pontifici pro tempore
 existenti durante ejus vita præter unum mandatum aut
 ad summum duo pro numero Præbendarum ad quam-
 libet respectue Ecclesiam expediendum vel expedien-
 da etiam jus præventionis relinqui voluit, in fine addi-
 dit Natio: *Supplicatur tamen Sacro Concilio, ut decla-*
rare dignetur, quod vigore horum Decretorum non in-
tendit tollere inferioribus Ordinariis tempus Lateranensis Con-
cilii. Neque solum temporis, sed & graduum Hierarchi-
 corum observatio intenta fuit. Hanc quippe Decretum
 ipsum jam complexum fuerat, uti tenor ipsius disertissime
 innuit. Nam inter cætera reservationum & gratiarum
 expectatarum incommoda & absurda, & quæ iis cau-
 santur Ecclesiæ turbationes, sequentia recensentur: *Or-*
dinariis Collatoribus Suum Ministerium subtrahitur & CON-
 FUNDITUR ORDO ECCLESIASTICUS, *dum unicuique sua Ju-*
 ris-

risdictio non servatur; Romanique Pontifices, dum officia
 inferiorum nimium sibi vindicant, a majoribus & magis
 fructuosis operibus universale bonum concernentibus retra-
 huntur, nec inferiorum directioni ac correctioni invigilant,
 sicuti publica utilitas exposcit. Quæ omnia gravem confu-
 sionem Statui Clericali & Sacerdotali in dispendium divini
 cultus & præjudicium publicæ salutis afferunt, possentque
 graviolem in futurum afferre ruinam, rebus his in deteriora
 jugiter prolabantibus, nisi provideretur in adversum. Sedis
 porro Apostolicæ consensum EUGENIUS IV. in Bulla,
 quæ incipit: *Ad tranquillitatem & commoda*, declarat §.
 IV.: *Permittentes interim & indulgentes, quod omnes &*
singuli, qui præfata Decreta receperunt, vel recipientibus,
ut præmissum est, adhæserunt in præfata Natione, ILLIS
 SIMILITER CUM MODIFICATIONIBUS, QUIBUS RECEPTA
 SUNT, *libere & licite uti possint.* Hoc idem dein in Con-
 cordato Aschaffenburgensi Pontificem conservari in poste-
 rum voluisse & consensisse Clausula: *In aliis autem a Ni-*
 colao V. Bullæ: *Ad sacram Petri sedem ejusdem Concor-*
 dati



dati confirmatoriæ adjecta luculentissime demonstrat. Si quidem Ordinis Hierarchici observantia extra Casus reservationum Sedi Pontificiæ nominatim stabilitarum nec minimum apicem concordiæ illius Aschaffenburgensis contingit. Promissum itaque illud, *quod Ss. Dominus ultra reservationes præmissas per quamcunque aliam reservationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem sub quacunque verborum forma per eum aut ejus auctoritate factam vel fiendam liberam Ordinariorum dispositionem impedire nolit, ad Constitutiones quoque sive leges a S. Sede Apostolica posthac emanaturas pertinet, per quas ob quamcunque justissimam & evidentem causam omisso intermediorum Hierarcharum ordine, Curia suæ ulteriorem quandam immediate providendi potestatem attribuit, cum officio tamen supremæ ejus inspectionis & superintendentiæ optime conciliatur.*

§. XLVIII.

His igitur principiis suum cuique quoad Jus & potestatem conferendi Beneficia Germaniæ tribui omni-

no videtur. Sua quippe inferioribus quibuscunque Jura salva sunt, si secundum Canones & ad utilitatem Ecclesiæ, propter quam liberaliter iis sunt indulta, rite iis utantur. Episcopis tanquam primariis & eminentibus Collatoribus sua servatur authoritas. Sanctæ Sedi autem Apostolicæ suprema sua in omnes etiam eminentiores Collatores inspectio ac Superintendentia cum justitiæ & fidei observantia conjuncta integra relinquitur, & insuper Scholasticorum quorundam de plenitudine potestatis Pontificiæ circa Concordatorum derogationem disceptatio non incongrue deciditur. Ea vero, quæ a Summis Compaciscentibus desiderata ac intenta fuit, Concordatorum firmitas ac perpetuitas, & ipsa utriusque partis mutua pax, unio & tranquillitas cum imperturbata particularium quoque Ecclesiarum salute in tuto collocantur.

T A N T U M.





X2338862





Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

8
1784/1

DISSERTATIO INAUGURALIS
DIFFERENTIAE
INTER
COLLATORES BENEFICIORUM
GERMANIAE
CANONICAS SEQUELAS EXHIBENS.

QUAM UNA CUM SUBJUNCTIS
EX UNIVERSO JURE POSITIONIBUS
AUSPICE
DEO TER OPTIMO MAXIMO
ANNUENTE INCLYTO SENATU JURIDICO

P. 373.

IN ALMA JULIO-DUCALI WIRCEBURGENSIUM UNIVERSITATE
PRAESIDE
PLURIMUM REVERENDO, MAGNIFICO, CLARISSIMO
ET CONSULTISSIMO VIRO, AC DOMINO
D. JOANNE NEPOMUC. ENDRES,
SS. THOL. ET U. J. DOCTORE, REVERENDISS. ET CELSISS. S. R. I. PRINCIPIS EPIS-
COPI DAMBERGENSIS ET WIRCEBURGENSIS, FRANCAE ORIENT. DUCIS &c. CONSIL.
ECCL. INSIGNIS ECCLESIAE COLLEGIATAE AD UTRUMQUE S. JOANNEM IN HAU-
GIS CANONICO CAPITULARI, ET IN PRAEFATA UNIVERSITATE SS. CANON.
PROFESSORE PUBLICO ET ORDINARIO

PRO DOCTORATUS IN U. J. GRADU
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT
TRIBUS PRO MORE RIGOROSIS EXAMINIBUS TENTATUS ET APPROBATUS
LOTHARIUS FRANCISCUS EHLEN,
WIRCEBURGENSIS,
WIRCEBURGI IN AUDITORIO JURIDICO
AD DIEM XXVIII. JULII ANNI MDCCLXXXI.
Horis ante & post meridiem consuetis.

Typis Francisci Ernesti Nitribitt, Universitatis Typographi,

